De Diodori rerum Romanarum auctoribus

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Lipsiensi

rite impetrandos

scripsit

Joannes Bader

Chemnitiensis

Lipsiae

Typis M. Hoffmanni

MDCCCLXXXX

Conrado Cichorius

sacrum

Retractanti mihi denuo quaestionem difficillimam de rerum Romanarum Diodori auctore postquam multi et doctissimi viri examinaverunt, primo loco paucis exponendum est cur ego quoque ad diiudicandam litem me aliquid collaturum esse sperem. At praecipua mihi fuit causa quod eis, quae nuper Cichorius felicissime enucleavit *) de fastis Diodori novum positum est fundamentum, unde exorsi denuo ad quaestionem aggredimur. Priusquam vero ad rem ipsam accedamus operae esse videtur pretium omnes sententias, quae adhuc de annalium scriptore a Diodoro in libris XI—XX adhibito sunt prolatae, enumerare et in uno conspectu ponere. Permagna enim nunc exstat sententiarum diversitas.

Fabii Pictoris antiquissimi scriptoris Graecos annales Diodori fontem fuisse suspicati sunt Dodwell „de cyclis dissertatio“ X. 73; Wesseling. Diod. opp. ed. Bip. IV p. 314, alii (cf. Schwegler. H. R. II p. 23 adn. 40). Quam sententiam quae arrisit etiam Niebuhrio (cf. H. R. II p. 191 adn. 366), postea Mommsen amplexus novis argumentis confirmare studuit dissertatione quae inscribitur „Fabius und Diodor“. (Römische Forschungen II p. 221 sqq.). Mommseno adstipulati sunt Schäfer „Quellenkunde“ II p. 13, Collmann „de Diodori Siculi fontibus“ (Lipsiae 1869), alii quos enumerare supersedeo.

Nubes fere est eorum, qui Mommseni potissimum dissertationem impugnantes Diodorum non e Fabio hausisse contendunt.

*) „De fastis consularibus antiquissimis.“ In Stud. Lips. vol. IX pag. 171 sqq. De Diodoro agit p. 208 sqq.

Cincium Alimentum Fabii aequalem a Diodoro esse adhibitum Matzat „Chr. Rom.“ I p. 263 sqq. chronologicis commotus causis satis confidenter statuit.

Alii freti Diodori verbis qui de se ipse dicit I, 4 „*πάσας τὰς ἡγεμονίας ταύτης* (sc. Romanorum) *πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων*“ negant Fabium vel Cincium, qui Graece scripserunt annales, a Diodoro esse usurpatos.

Dux eorum, quorum sententia e Calpurnii Pisonis opere historico sua mutuatus est Diodorus, est Clason in Ann. Heidelb. 1872 p. 835 sqq. (cf. eundem in Schwegler-Clason H. R. IV p. 17). Cui assentiri L. Cohn in Phil. XXXXII p. 1 sqq., Klimke „Diodorus Siculus und die römische Annalistik“ (Königshütte 1882), Triemel J. J. 139 p. 345 non dubitabant.

Fabii Pictoris Latinos annales Diodorum esse secutum nuper contendebant Holzapfel Chr. R. p. 190 nec non Soltau „Proleg. ad Chr. R.“ p. 82 et in Chr. R. p. 373 sqq. In eandem sententiam antea iam inciderat W. Harless „de Fabiis et Aufidiis rerum Romanarum scriptoribus“. p. 3 sqq. (Bonn 1853).

Ed. Meyer qui de Diodori Romano fonte egit in Mus. Rh. XXXVII p. 610 sqq., nomina afferre veritus tempus quo annales a Diodoro adhibiti essent conscripti, definire studuit. Statuit vir doctissimus eos esse compositos post Fabii Pictoris Graecos, ante Pisonis annales.

E Claudio Quadrigario Diodorum res restas Romanorum desumpsisse obiter suspicatus est Büdinger in Annal. Burs. 1873 II p. 1191 sqq.

Cn. Flavium, Diodori fontem fuisse statuerat Nitzsch, „*Römische Annalistik*“ p. 232 sqq.

Hi omnes viri doctissimi, quamquam de nomine auctoris a Diodoro adhibiti mirum quantum inter se dissentiunt, tamen quaecunque Diodorus de antiqua Romanorum historia prodit ex antiquiore quodam annalium scriptore manasse consentiunt. Ac ne desunt quidem qui Diodorum non e Romanis sed e Graecis hausisse fontibus persuasum sibi habeant. Cogitavit e. g. Bornemann „de Castoris chronicis Diodori Siculi fonte ac norma“ p. 20 sqq. de Timaeo, Duride, Castore.

Sequitur ut nunc paucis verbis exponamus ea quae Cichorius[2]) de fastis Diodori rectissime docuit. Diodorum et fastos consulares et res gestas Romanorum ex uno eodemque mutuatum esse fonte fere omnes adhuc crediderunt. (cf. Ed. Meyer l. l. p. 611; Mommsen R. F. II. p. 271 adn. 68). Quam falsam esse sententiam luculenter demonstravit Cichorius. Cum in libris XI et XII consulum nominibus saepissime cognomina sint adscripta, inde ab anno 327 rarissime tantum terna leguntur consulum nomina. Quoties de rebus populi Romani domi forisque gestis Diodorus breviter quaedam adnotat, aut ex more antiquissimorum annalium scriptorum nomina imperatorum tacet, aut binis tantum nominibus refert. Accedit quod saepius eidem homines, quoties in fastis, gerunt cognomina, quoties in commentariis historicis commemorantur, nullo addito cognomine leguntur. E. g.

XII, 80 *Αὖλος Κορνήλιος* in comm. hist. XII, 75 *Αὖλος Κορνήλιος Κόσσος* in fast.

XII, 80 *Μάνιος Αἰμίλιος* in comm. hist. XII, 38 *Μάνιος Αἰμίλιος Μάμερκος* in fast.

Quae cum ita sint, rectissime statuit Cichorius praeter annalium scriptorem a Diodoro esse usurpatum exemplar fastorum consularium quo singuli consules et tribuni militares ternis legebantur nominibus. Quae referenda esse ad illam tabulam chronologicam, ex qua Diodorus archontes quoque deprompsit, valde verisimile est. Itaque in libris XI et XII saepius fastos e recentiore chronologico fonte, ubi addita erant consulibus cognomina, statuendus est Diodorus excerpsisse, inde ab anno 327 fere semper ex annalium scriptore unde sumpsit etiam enarrationem. Qua in posteriore parte semper inter se congruunt fasti et memoriae historicae, desiderantur enim cognomina et in fastis et in commentariis[3]). Quo duplice fastorum fonte forte continget, ut mirasillas confusiones et lacunas quae inveniuntur in fastis Diodori, rectius quam adhuc fieri potuit expediamus.

---

[2]) l. l. p. 208 sqq.

[3]) Comprobant ea quae Cichorius de fastis Diodori docuit, Buehl J. J. 137 p. 47. Soltau Chr. R. 375 sqq. Kaerst Phil. III. p. 338. Siebourg. „Berl. phil. Wochenschr.“ 1889 p. 1337.

Sed priusquam in fastos Diodori diligentius inquiramus, relinquitur, ut de eis, quae Ed. Meyer de fonte Diodori enucleasse sibi videtur, sententiam feramus. E scriptura enim quorundam nominum demonstrare studet vir doctissimus l. l. p. 611 Diodorum e fonte non Graece sed Latine scripto hausisse. Quam opinionem si comprobamus, neque Fabii neque Cincii Graecos annales Diodori fuisse fontem in propatulo est. Omnes fere viri docti qui post Meyerum de Diodori agebant fonte annalistico libentissimo animo Meyeri amplexi sunt sententiam. Quae cum ita sint, accurate nunc videamus num vestigia Latini fontis satis certa et fida vel in fastis vel in commentariis historicis investigari possint necne.[4])

I, cos. a. 325 a. u. appellatur XII 73. *Λεύκιος Σέργιος Φιδηνάτης* (*νιατης* libb.).

cos. a. 306 XII 27. *Τίτον Στερτίνιον Στρούκτωνα.*

cos. a. 395 XVI 15. *Μάρκον Ποπίλλιον Λαινάτην.*

E nominum formis *Φιδηνάτης, Λαινάτης, Στρούκτωνα* in Diodori fonte consules conicit Meyer ternis fuisse enumeratos nominibus atque ablativa quidem forma. Nam ortas esse suspicatur *Φιδηνάτης Λαινάτης, Στρούκτωνα* ex ablativis Latinis Fidenate, Laenate, Structo; poscit nimirum *Φιδήνας, Λαίνας, Στροῦκτος*. Quae sententia mihi quoque arridet; notandum vero est quaecunque exempla collegit Meyer, esse desumpta non ex annalium scriptore a Diodoro usurpato, sed e recentiore chronologico fonte, ubi singulis magistratibus cognomina erant adscripta. Desunt talia exempla in ea fastorum parte, quos excerpsit Diodorus ex annalium scriptore. Quae cum ita sint, Meyeri observatione, utrum annales a Diodoro adhibiti Graece, an Latine scripti fuerint, nullo modo[6]) potest diiudicari.

---

[4]) Meyeri asseclae sunt hi: Holzapfel Chr. R. 190 adn. 2. Soltau „Prol. ad. Chr. R." p. 82; idem in Chr. R. p. 377. Triemel J. J. 139 p. 345. Solus Kaerst Phil. 11. p. 338 dubitat, num recte argumentatus sit Meyer; neque vero eum refutat.

[5]) apud Livium III 65 et Dionysium XI 51 Titus Virginius cluet hic consul.

[6]) Sunt autem causae satis idoneae quibus aliquis infringere possit Meyeri suspicionem de nominibus *Φιδηνάτης* etc. Singula examinabo.

Φιδηνάτης. *Φιδηνάτης* vere Graecam esse formam nominis Fidenatis disertis verbis testatur Stephanus Byzantius cum dicit: „*Φιδήνη,*

Non modo in fastis, verum in enarratione historica Ed. Meyer Latinum fontem cognosse sibi videtur. Cum scripturis geographicorum imprimis nominum nitantur Meyeri argumenta, quam foede corrupta et depravata notissima saepe nomina geographica in Diodori libris legantur, paucis illustrabo exemplis, ut, cur inopportunum sit e scriptura verborum diiudicare utrum Graecum an Latinum adierit fontem Diodorus, facile intelligamus. E. g. Aequorum gentis diversas scripturas, quae extant in codicibus, in medio ponam.

πόλις Ἀλβανῶν. τὸ ἐθνικὸν Φιδηναῖος. ἔοικε καὶ Φιδήνα λέγεσθαι ὡς Ῥάβεννα καὶ Φιδηνάτης ὡς Ῥαβεννάτης. οὕτω γὰρ Χάραξ ιβ' κέχρηται Φιδηνάτης. (cf. Cichorius-Wachsmuth de fastis p. 213 adn. 1) Pluralis forma Φιδηνάται legitur apud Plut. Cam. 17. Popl. 22. Dionys. Halic. II 72. Usitatiorem esse formam Φιδηναῖος nemo negat. cf. Dio. Hal. II 54; III 7, 28.

Λαινάτης, Quae nominis forma nusquam alibi quod sciam extat; neque contendere possumus eam similiter esse derivatam atque Φιδηνάτης a Φιδήνα. Semper fere apud auctores Graecos legimus Λαίνας. Unam tantum, si non eandem attamen valde similem huius nominis formam indagavi apud Polybium XXXIII 7, Λαινᾶτος.

Στρούκτωνα XII 27. Vere Graecam formam Στροῦκτον habemus XI 54, 71, 79. Quae cum ita sint, miram illam formam Στρούκτωνα XII 27 suspicor non Diodori culpa sed corruptela in textum irrepsisse. Sic se habere rem aliis argumentis confirmari potest. Liv. III 65 et Dionys. Hal. XI 51 vocant consulem huius anni T. Verginium. Quod nomen ne in Diodori textu restituamus, impedimur quod cognomen Structus non Verginiae sed Serviliae gentis est proprium. Itaque nil lucramur apud Diodorum pro corrupto nomine Στερτίνιον Verginium restituentes. Altius haerere videtur vulnus.

Restat ut de collegio anni 361 (Diod. XIV 99) aliquid moneam. Meyer l. l. haec dicit: „*Ein ähnlicher Fehler scheint in Σερούιλιος Κόσσων* XIV 99 = Ser. Sulpicius Camerinus cos. 361 *zu stecken.*“ Quomodo fieri possit ut e Latina ablativa Camerino oriatur Graeca accusativa forma Κόσσων me non satis intellegere profiteor. Dubitari nequit quin apud Diodorum XIV 99 Κόσσων culpa nescio cuius interpolatoris in textum irrepserit. Desideratur enim Κόσσων in codicibus Paris I. et Coisl. Sed accedit alia atque gravior causa. Constat Diodorum collegia annorum 360—364 repetere ineunte libro quinto decimo. Consules anni 361. iterantur XV, 8.

XIV,99	Λεύκιος Λουκρήτιος Σερουίλιος (Κόσσων)	XV, 8.	Λεύκιος Λουκρήτιος Σερουίλιος Σουλπίκιος (Σέρουιος: Clar. Paris I.)

Qua comparatione quid discimus? Nonne luce clarius fit Diodorum in fonte suo repperisse Servium Sulpicium et Κόσσων interpolatoris esse addidamentum?

Αἰκολανοί: XI 40. *Αἴκλοι*: XII 64; XX 101; XIV 117 *πόλιν ὑπ' Αἴκλων, νῦν τῶν Αἰκίκλων καλουμένων; Αἰκαλῶν*: XX 101. (nonnulli libri.) *Αἶκοι*: XIII 6; XIII 42; *Αἰτωλοὺς*: XIV 98; *Αἰκούσους*: XIV 102.

Praeterea XX 80 pro *Ἀναγνίταις* miram exhibent corruptelam libri *Αἰγινίταις* vel *Αἰγινήταις*. Quibus praemissis nunc ea potissimum tractabo exempla quae Meyeri opinione maximi sunt momenti, omittam ea, quibus ipse nullam aut parvam tribuit vim [7]).

II. *Σαρδωνία*. XV, 27 (a. 368) Diodorus haec breviter prodit de colonia a Romanis deducta *εἰς Σαρδωνίαν*: „*ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις Ῥωμαῖοι μὲν ἐπ' ἀτελείᾳ πεντακοσίους ἀποίκους εἰς Σαρδωνίαν ἀπέστειλαν.* (*Σαρδονίαν* Paris. 2). Quam formam nominis insulae Sardiniae non vere Graecam esse rati Meyer, Holzapfel, alii e Latino suo fonte, quo legerit „Sardiniam", Diodorum opinantur nomen non vere Graecum transtulisse in textum. Usitata enim Sardiniae insulae Graeca forma est *Σαρδὼ* vel *Σαρδών*. Quid? Nonne singularis et mirifica Sardiniae insulae forma *Σαρδωνία* optime Romano quoque condonari potest auctori qui Graece composuit historias? — Similiter a Sileno apud Suidam s. *Σαρδάνιος* incolae insulae *Σαρδώνιοι* appellantur. Si Silenus Sardiniae incolas vocat *Σαρδωνίους*, quidni Diodorus insulam ipsam *Σαρδωνίαν*? Qua e forma illum Latinum auctorem in usum suum convertisse colligere non audeo. Facile autem fieri potest ut eo, quem tractamus loco, de Sardinia insula cogitare non licitum concessumque sit. Quamquam initio quarti a. Chr. saeculi multas a Romanis conditas esse colonias haud inter se discrepant auctores, tamen praeter Diodorum tacent ceteri de colonia in Sardinia insula constituta [8]). Adde

---

7) Sibi non constat haud dubie Soltau, quod in Chr. R. p. 375 ea quae Cichorius observavit de fastis Diodori comprobat; infra autem p. 377. ubi Diodorum e Latino auctore sua derivasse ostendere vult, in hanc disputat sententiam: „*Nur Unwesentliches wendet dagegen ein* Cichorius de fastis p. 213 adn. 1. *Entscheidend sind die lateinischen Ablativendungen, die in einigen Namen Spuren hinterlassen haben.*" Quae vestigia Latini fontis non inveniri nisi in eis fastis, quos debet Diodorus recentiori fonti, supra iam vidimus.

8) Vell. I 14 et Liv. in libro sexto has enumerant: Sutrium (cf. Diod. XIV, 117); Satricum (Liv. VI, 16, 22. Diod. XIV 102) Nepete (Liv. VI 21.) Setia (Liv. VI, 30).

quod parum credibile esse videtur iam post paucos annos quam opes Romanorum civitatis clade Alliensi et incendio urbis valde sunt adflictae, coloniam esse deductam in insulam longius sitam. Num illis temporibus Romanorum classis iam ita erat instructa et exornata, ut totum mare Tyrrhenum pervehi non dubitarent? Quae cum ita sint, facilius nunc adducor, ut Niesium „*Abriss der römischen Geschichte*“ p. 595 secutus Diodori verba non ad Sardiniam insulam, sed urbem quandam nobis ignotam Italicam referenda esse credam[9]). Utut res se habet, Diodorum Latine scriptum fontem adiisse e forma *Σαρδωνία* nullo modo potest demonstrari.

III. *Τοῦσκοι*. Item offenditur Meyer in forma *Τοῦσκοι*, quae semel extat XIV 117. „*ἔνιοι δέ φασιν αὐτὸν ἀπὸ Τούσκων θρίαμβον ἀγαγεῖν ἐπὶ λευκοῦ τεθρίππου*“. Desiderat nimirum *Τυρρηνῶν*. Quam usitatam esse formam concedo,[10]) nego vero inauditam esse scripturam *Τούσκων*. Omitto auctores recentissimae aetatis, Ptolemaeum geographum, Procopium qui promiscue uti solent formis *Τοῦσκοι* et *Τυρρηνοί;* sed e Plin. n. h. III 50 apparere videtur scripturam *Τοῦσκοι* non plane alienam fuisse a lingua Graeca. Legimus enim haec „Umbros inde exegere antiquitus Pelasgi, hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni, mox a sacrifico ritu lingua Graecorum T(h)usci sunt cognominati“. Quod singularem formam *Τούσκων* ducit

---

[9]) Nugae fere sunt et omni carent fundamento, quae profert Clason in H. R. IV, 76./77. „Diodori verba non ad Romanorum spectare res gestas; sed auctorem Graecum a Diodoro adhibitum (Ephorum?) Romam cum alia, Etrusca e. g., Italiae urbe confudisse.“ Quae refutare supervacaneum est. Contra alii, (Nissen J. J. 1867. p. 325. Faltin in Neumanni Bell. Pun. 61 adn. 2.) re vera Sardiniam insulam a Diodoro significari putantes, provocant ad praecepta alterius foederis a Romanis cum Carthaginiensibus icti. (Pol. III 24,10). Quo pacto cum Romani in Sardiniam colonias mittere vetentur, iam antiquissimis temporibus illa in insula Romanas fuisse colonias concludunt viri docti. Quae argumentatio nullam persuadendi necessitatem habet praesertim cum eodem foedere interdictum sit Romanis, ne ad Libycum litus deducant colonos. Unde nemo concludet illis temporibus in Africa iam Romanas constitutas fuisse colonias.

[10]) Suidas: „*Τυρρηνία χώρα καὶ Τυρρηνοὶ οἱ λεγόμενοι Τοῦσκοι*. Similiter Strabo V, 2, 2. *οἱ Τυρρηνοὶ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτροῦσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται*. Etiam Diodorus aliis locis semper praefert *Τυρρηνούς*. e. g. XIV, 113; 116; 117, 4.

Meyer e Latina „Tuscorum“, idem valet, quod supra iam monui de auctore Romano Graece scribente.

IV. Incolae Veliternarum urbis XIV 102 „Οὐελιτρίνων“ appellantur a Diodoro, cum Stephanus Byzantius poscat „ἔθει τῆς χώρας“ Βελιτρανόν.[11]) Eandem scripturam etiam apud Diodorum lenissima restituendam esse coniectura verisimillimum est. Si vero scripsit Diodorus „Οὐελιτρίνων“, plane nulla est causa, cur Meyero adstipulati „Οὐελιτρίνων“ e Latina nominis forma quae est Veliterni, exortam esse statuamus.

V. XIV 96 de rebus Romanis haec prodit Diodorus: „κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι Φαλίσκον πόλιν [ἐκ] τοῦ Φαλίσκων ἔθνους (libb. Φίλισκον — Φαλαικῶν) ἐξεπόρθησαν“. Quam formam Φαλίσκον ne fonti Latine scripto attribuamus, eo impedimur, quod oppidum, cui nomen est Faliscus, nusquam ab auctoribus Latinis commemoratur. Faliscorum urbem semper appellant Falerios Latini, Φαλέριον vel Φαλερίους Graeci auctores.

Oppidum vero fuisse cui Graece nomen erat Φαλίσκος, Latine Falisca, claris testantur verbis Stephanus, Solinus, alii. Steph. Byz. Φαλίσκος, πόλις Ἰταλίας, ἄποικος Ἀργείων καὶ Φαλίσκοι οἱ οἰκήτορες. Φαλέριον ὡς Βυζάντιον, πόλις Τυρρηνίας, τὸ ἐθνικὸν Φαλέριος.

Plin. n. h. III, 51. „Intus coloniae Falisca Argis orta (ut auctor est Cato), quae cognominatur Etruscorum.“ Similiter legimus apud Solinum p. 35,6—7 M. „Ab Haleso Argivo Faliscam: a Falerio Argivo Falerios.“ Strabo quoque V, 2, 9 discernit Φαλίσκον et Φαλερίους. Si igitur apud Diodorum legeretur Φαλίσκαν πόλιν, ego quoque de Latino cogitarem fonte.[12])

Item pluralis forma Φαλίσκοι ne minimam quidem praebet haerendi causam, quamquam E. Meyer l. l. p. 611 adn. 2. Φαλερίους poscere videtur. Apud Latinos auctores incolae Faleriorum urbis semper appellantur Falisci. Cum autem

---

[11]) Cui regulae serviunt Plut. Cam. 42. id. Coriol. 12. Dion. Hal. V, 61.

[12]) Plura de Falisca et Faleriis urbibus congesserunt Groskurd ed. Strab. I. p. 390./391. Müller-Deecke, Etrusker I. p. 102 sqq. Bormann in C. J. L. XI. p. 465.

apud Graecos quoque eadem nominis forma (*Φαλίσκοι*) saepissime inveniatur praeter usitatam *Φαλερίους*, non est cur apud Diodorum Latinum statuamus fontem. Legitur e.g. *Φαλίσκοι*: Plut. Cam. 9, 10, 77; Pol. I, 65; Diod. XIV, 98; XVI, 31. Plutarchus in vita Camilli promiscue utitur formis *Φαλίσκοις* et *Φαλερίοις* ita tamen, ut priorem praeferre videatur si non de civibus urbis Faleriorum, sed de incolis totius regionis sermo est e. g. l. l. 10. *„ἀποδούσης δὲ τῆς βουλῆς πάλιν ἐκείνῳ τὸ κρῖναι καὶ διαιτῆσαι ταῦτα, χρήματα λαβὼν παρὰ τῶν Φαλερίων καὶ φιλίαν πρὸς ἅπαντας Φαλίσκους θέμενος ἀνεχώρησεν".*

VI. Praeterea legimus XIV, 11 castellum a Romanis communitum, cui Diodoro teste nomen erat „*Ἔρρουκα*" a Volscis anno 347 vi esse expugnatum. Procul dubio significare vult ille Verruginem quod praesidium 347 a Volscis esse amissum prodit Livius IV 58, 3. Idem castellum a Diodoro XIV 98 = Liv. V 28 in codicibus appellatur (*ἐκ*) *Οὐερρηγῖνος* (al. *Οὐερηγίνος*). Formam *Ἔρρουκαν* in priore loco nihil esse nisi textus corruptelam paulo graviorem quales permultae reperiuntur in libris Diodoreis, quis est qui non concedat? Vix quisquam accedet Meyeri opinioni qui scripturae discrepantiam Diodoro imputare conatur cum dicit l. l. p. 611—612. „*Solches Schwanken ist natürlich wohl bei einem wenig sorgfältigen Übersetzer, aber nicht bei Benutzung eines griechisch schreibenden Römers, der die Verhältnisse kannte und wusste, dass beidemal dieselbe Stadt gemeint sei, möglich.*"[18])

---

[18]) Idem offenditur, quod Verrugo apud Diod. XIV, 11 (347) nec non a Livio IV, 58, 3 oppidum in Volscorum finibus situm appellatur. Diod. l. l. „*Ἔρρουκαν πόλιν Οὐόλσκων.*" Liv. „Et in Volscis accepta clades amisso Verrugine praesidio." (item Liv. IV, 55, 8. Val. Max. III, 2, 8.) cum apud Diodorum XIV, 98 (a. 360). = Liv. V, 28, 6 idem commemoretur castellum in bello contra Aequos gesto. Inde concludit vir doctissimus l. l. p. 612 adn. 1. res antiquissimis temporibus gestas in fastos esse relatas aetate multo posteriore, qua memoria antiquarum Latii gentium iam evanuerit et obscurata fuerit. Quam discrepantiam ut rectissima et simplicissima expediamus ratione, optime adiuvamur a Livio IV, 1, 4. „Et Volscos Aequosque ob communitam Verruginem fremere." Unde sequitur Verruginem sitam fuisse ubi fines Aequorum Volscos contingunt. Iam igitur habemus causas cur huius castelli et in bello contra Aequos et contra Volscos gesto fiat mentio. Praesidium iuxta fines et Volscorum et Aequorum situm anno 347 a Volscis, anno 360 ab Aequis est captur

Quodsi quae adhuc de Meyeri sententia disputavimus, comprehendemus, fateare necesse erit annalium scriptorem a Diodoro adhibitum Latine scripsisse neutiquam a viro docto esse comprobatum.[14]) Quae cum ita sint, nunc quidem in dubio relinquenda est quaestio, utrum Graecis an Latinis annalibus usus sit Diodorus.

Relinquitur priusquam ad rem propositam propius accedamus ut sententiam sat miram et inauditam quam nuper protulit Soltau in Chr. R. p. 375—376. 438 sqq. examinemus. Demonstrare enim studet vir doctissimus, antiquissimos annalium scriptores Romanos in quibus etiam auctorem a Diodoro usurpatum numerandum esse recte putat, singulorum annorum fastos non addidisse, sed bellorum intervallis computatis res gestas disposuisse. Concedendum est apud Diodorum aeque atque in eis Livii partibus quas ex antiquioribus sumptas esse auctoribus constat (e. g. II, 16, 1—2; 19, 1—2; 21, 1—2) nomina imperatorum in commentariis historicis fere nunquam legi. In triginta et quinque particulis quae in Diodori libris XI—XX ad bella a Romanis gesta spectant, ter tantum inveniuntur consulum nomina, quorum auspiciis pugnabatur a legionibus (XVI, 90. a. 414; XX, 35. a. 444; XX, 101. a. 450). Porro res gestae uniuscuiusque anni non sicut apud auctores recentioris aetatis distribuuntur inter singulos consules. Quam consuetudinem scribendi conspirare cum antiquissimorum annalium scriptorum more discimus e Nep. Cat. 3. „bellorum duces non nominavit, sed

---

[14]) Klimke l. l. p. 3, 7, 32 nonnullis locis Latini fontis vestigia indagari posse perperam iudicat. Unde profectus sit anachronismus, qui invenitur in lib. XII, 26 „*ταύτην εἰς δώδεκα χαλκοῦς πίνακας χαράξαντες οἱ ὕπατοι προσήλωσαν τοῖς πρὸ τοῦ βουλευτηρίου τότε κειμένοις ἐμβόλοις*“.(rostris), Klimke cui adstipulatus est E. Meyer l. l. p. 618 adn. 2, recte perspexisse videtur. Diodorum igitur in fonte suo invenisse „ubi nunc sunt rostra.“ Ortam vero esse confusionem Diodori culpa qui pro „nunc“ dedisset „*τότε*“ ea nimirum causa, quod Caesare mortuo rostra in alium fori locum essent translata. In Diodori vero textu „*τότε*“ non ad auctoris ab illo adhibiti sed decemvirorum spectat aetatem. Cum Klimkio totus consentio. Haud dubie vero item res se habet si Diodorus in fonte suo non „nunc“ sed in aliquo Graece scripto fonte „*νῦν*“ deprehendit. Quae cum ita sint, ex illo loco nil de Latine scripto fonte concludam, id quod volunt Klimke, Meyer.

sine nominibus res notavit." Plin. n. h. VIII 11. „Cato cum imperatorum nomina annalibus detraxerit." Fabium quoque in eis saltem operis partibus, quae ad vetusta spectabant tempora, hanc scribendi rationem esse secutum testatur Livius X, 37, 14. „Fabius ambo consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriam exercitum, sed ab utro consule non adicit."[15]) Antiquissimos vero Romanorum historicos magistratus eponymos plane omisisse, et annorum tantum intervallis, quae intererant inter res memoratu dignas posuisse, id quod sibi fingit Soltau, eis, quae protulimus de Fabii aliorumque ratione scribendi, neutiquam comprobatur. Soltavii opinio omni caret fundamento; minime enim confirmatur antiquissimorum annalium fragmentis quae aetatem tulerunt. Falsissime profert ille notissimum illud fragmentum Fabii cuiusdam, qui Latine scripsit historias. Legimus apud Gellium N. A. V 4,3. „Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duovicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt." Quid? Num quis, quod in hoc enuntiato temporis intervallum notatur, iure concludat, cum in Fabii tum in aliorum antiquissimorum scriptorum annalibus fastos plane defuisse? Falso Soltau Catone teste uti conatur. Videtur ille re vera in quibusdam „Originum" partibus annorum intervalla computasse neque singulorum annorum fastos adscripsisse (cf. fr. 84). Respiciendum vero est Catonen non annales, id est historiam per singulos annos res gestas recensentem — hoc pollicetur ipse titulus annales — sed origines composuisse quas et dispositione et argumentis nimirum diversas fuisse ab operibus vere

[15]) In antiquissimis publice factis tabulis — annales maximos dico — nomina ducum defuisse luculenter apparet comparatis inter se C. J. L. I 29—30 et Livio X, 12, 3. (cf. Niese, de annal. Rom. p. IV. Ed. Meyer, l. l. p. 612). Quo in titulo mentio fit urbis cuiusdam Samniticae alias ignotae, cui nomen erat Cisauna. Suspicor eandem urbem latere apud Diodorum XX 26 in corruptela „*Κεραυναίαν* (sic Flor. *Κεραυναίαν* vel *Κεραυνιλίαν* al. libr.) Stirps „Kisaun" et „Keraun" eadem est. Rhotacismo oritur „r" inter duas vocales. Accedit quod antiquissimam scripturam „Ceisauna" fuisse credo. cf. Niebuhr H. R. III. 424 adn. 619. Eandem emendationem sibi arrogavit Schiller in Burs. Annal. 1887 III. p. 290. Temeraria est coniectura Burgeri in Mnemos. XVI, p. 6, qui proponit ut pro *Κεραυναίαν* scribatur *Κουβυλτερίαν*!

historicis nemo negabit. Quod Catoni, non idem licuit annalium scriptoribus. Quae cum ita sint, plane abicienda est Soltavii sententia, qua l. l. p. 439 sqq. antiquis Romanorum annalibus eam derogat partem quae, ut mihi videtur, eis nullo modo denegari debet. Cum apud Diodorum identidem e. g. inde ab a. 416—435 per complurium annorum spatium non nisi magistratus Romani extent, desiderentur vero commentarii historici, suspicatur Soltau Diodori fontem fastos non habuisse. Negat enim l. l. p. 375 annalium quemquam scriptorem per decem annorum spatium nihil nisi singulorum annorum consules continuasse neque addidisse commentarios historicos. An constat Diodorum quaecunque reppererit in fonte suo, etiam in bibliothecam transtulisse? Soltavii scrupulus plane removetur eis quae Livius testatur IV 20, 9 de annis 325—327. „nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri posset, quod imbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium fuit, adeo ut quidam annales velut funesti nihil praeter nomina consulum suggerant."

Cetera quae profert Soltau l. l. p. 439 sqq. ad stabiliendam sententiam, tam futilia et levia sunt ut refutare supersedeam[16]).

Sequitur denique, ut in ipsas res gestas Romanorum quae continentur in Diodori libris XI—XX inquiramus. In

---

[16]) Addam hoc unum. Effugit virum doctum se nova sua doctrina in nevas sese praecipitasse angustias. Fac annalium scriptorem a Diodoro usurpatum nullos habuisse fastos. Fastos librorum XI—XIII, quatenus terna apparent consulum nomina, recentiori chronographico fonti debere Diodorum, Soltau ipse concedit p. 375. Quae cum ita sint, doceat quaeso vir ille doctus, unde sumpserit Diodorus magistratus librorum XIII—XX quibus consulum nominibus cognomina non sunt addita. Num quis credat, chronographum quo usus est Diodorus usque ad a. 327 saepissime terna, postea semper bina dedisse consulum nomina? Si igitur Soltavium sequimur, etiam in libris XIII—XX duplex nobis agnoscendus est fons, unus e quo ille res gestas, alter e quo fastos excerpsit. Statuere igitur debuit tres fontes Soltau.

I. Annalium scriptorem, qui nullos praebuit fastos.

II. chronographum quendam ubi terna apparebant coss. nomina.

III. fontem nescio quem ubi bina tantum erant nomina consulum. — In libro XV 61. a. 377 Diodorum tribunos et seditionis narrationem ex uno eodemque deprompsisse fonte recte docuit Cichorius l. l. p. 212.

posterioribus libris, cum Romanorum res a Carthaginiensium et Graecorum iam vix possint discerni, Graecos praecipue auctores Diodorum primarios secutum esse fontes haudquaquam inter se discrepant viri docti. E. g. Timaeum, Hieronymum, Philinum, Polybium, Posidonium in usum suum convertit. Eo acrior et intentior lis est de fontibus a Diodoro in libris XI—XX adhibitis.

De Diodori ratione chronologica.

Ineunte iam libro XI fasti Diodori sex annis praecurrunt fastos Capitolinos. Quae discrepantia deminuitur omisso consulatu Q. Fabii et C. Julii (a. 272. cf. Liv. II 43, 1); augetur vero omisso ol. 82, 1 = vulg. ol. 80, 3 et interposito consulatu L. Quinctii Cincinnati et M. Fabii Vibulani (ol. 82, 3. XII, 3), ita ut initio libri XII iam habeamus differentiam septem annorum quae intercalatis consulibus L. Quinctio et A. Sempronio (ol. 90, 1. XII 77) in fine eiusdem libri crescit usque ad annos octo. Cum inter finem libri XII et initium libri XIII quinque deinceps annorum collegia (331—335) a Diodoro omittantur, de discrepantia octo annorum quinque detrahuntur. Ineunte libro XV repetit Diodorus collegia annorum 360—364, ita ut idem vitium octo annorum recuperemus. Contra XV 75 unum tantum computat anarchiae annum simulque omittit collegium anni 387 (rogationes Licinias Sextias). Medio igitur libro XV differentia extat trium tantum annorum. Plane evanescit praetermissis annis dictatoriis 421, 430, 445 ita ut medio libro XX congruant fasti Diodori cum Capitolinis.

Fastos Diodori aliqua parte redire ad magistratuum indices antiquiores et meliores quam Livii et Dionysii iam multi perspexerunt viri docti. E. g. Mommsen R. F. II p. 222 sqq. singulis examinatis exemplis evicit saepe Diodori fastis maiorem attribuendam esse fidem quam aliis. Matzat aliique e Diodori fastorum natura extorquere student qualem annalium scriptorem secutus sit Diodorus. Cum vero magi-

stratus eponymi et adnotationes historicae non semper ex uno eodemque fluxerint fonte, summa cautio adhibenda est ei, qui e chronologia quam sequitur Diodorus fontem ab illo usurpatum definire conatur. Fortasse vero nobis contingit ut e duobus a Diodoro adhibitis fastorum indicibus — chronographi dico et annalium scriptoris — rectius iudicemus de nonnullis lacunis, addidamentis, aliis proprietatibus Diodori fastorum. Ille enim id egisse videtur, ut discrepantias quas investigavit inter chronographum et annalium scriptorem compensaret et utrique satisfaceret. Itaque accidit ei, ut in miras incideret confusiones.

Differentiam sex annorum quae est initio libri XI inter Diodori et Capitolinos fastos, profectam esse e dissensione quadam chronographi et annalium scriptoris verisimillimum est. Inde vero a libro XIII Diodorus chronographi sui fastos abiecisse et totus annalium scriptorem secutus esse videtur. Tunc id quoque, ut puto, intellexit se complures annos praecurrisse fastos annalium scriptoris. Cuius cum chronologia ut conveniret, bona fide quinque praetermisit collegia. Quaerendum vero est cur quinque tantum deleverit collegia, quamquam distat initio libri XIII octo annis a fastis Capitolinis? Haud dubie quod fastos annalium scriptoris non octo sed quinque tantum annis praeterierat. Unde concludendum est fastos Diodori annalium scriptoris ternis annis praecurrisse fastos Capitolinos. e. g. Fasti Capitol. 364 a. u. c. (390 a. Ch. n.) ~ Fasti fontis Diod. 367 (387) Lucramur vero etiam aliud. Cum enim Diodorus inde ab anno 336 usque ad Romae incendium[17]) eundem edat numerum collegiorum atque Livius et fasti Capitolini, ipse Diodori fons putandus est Gallorum invasionem attribuisse anno Ol. 98,2. 367. a. u. c. 387 a. Ch. n. Quae cum ita sint non est cur sicut alii hunc annum urbis deletae (367) fonti Diodori denegemus[18]).

---

[17]) Hac in parte fasti ex annalium scriptore sunt excerpti.

[18]) Cadit igitur Soltavii suspicio (Chr. R. p. 379, 386) qui coniecit Diodorum hunc annum Polybio debere (I, 6). Vir doctus enim demonstrare studet praeter annalium scriptorem quem nullos fastos edidisse sibi fingit, Diodorum Polybii rationem chronologicam non neglexisse; unde perturbationes et confusiones Diodori fastorum ortas esse putat. Quam sententiam confirmare studet in Chr. R. p. 382 sqq. ratiunculis non minus subtilibus quam artificiosis. Si Diodorus VII fr. 5 D. eundem

Satis est mirum quod Diodorus ineunte libro XV quinque repetit collegia (360—364), cum XV, 75 solitudinem magistratuum non per quinque aut quattuor sed unum tantum annum urbem tenuisse auctor sit. Praeterea omittit annum 387 quo rogationes Liciniae Sextiae sunt promulgatae. Desiderantur igitur anni (380—383) + 387. Adstipulor Soltavio l. l. p. 371 quinos additos et omissos annos aliquatenus inter se cohaerere. Diodorum anarchiam unius anni re vera in annalium scriptore repperisse neque fontem suum corrupisse — id quod volunt Unger, „Stadtaera" p. 52; Holzapfel Chr. R. 62, 186 sqq. — luculenter evicit Mommsen R.F. II p. 380 adn. 130 aliique (cf. e. g. Solt. Chr. R. 342, 350, 372; Seeck Tab. Pontif. p. 169 ; Niese, Abriss etc. p. 602). Verisimillimum vero est in recentiore chronographico fonte anarchiam quinque annorum legisse Diodorum. Pugnabant igitur inter se chronographus et annalium scriptor. Hunc sequi maluit Diodorus, neglexit illum;[19]) itaque quattuor interciderunt anni. Item valde verisimile est Diodorum magistratus anni 387 in annalium scriptore frustra quaesivisse[20]). Legum Liciniarum gra-

---

atque Polybius comprobat annum urbis conditae (Ol. 7, 2), prona est suspicio utrumque eundem adiisse fontem, aut Diodori fontem et auctorem a Polybio usurpatum eundem edidisse annum. Saepius enim hic annus (Ol. 7, 2) imprimis ab auctoribus Graecis traditur cf. Cic. de re publ. II 10, 18. Sol. p. 11. Accedit quod ab omni specie verisimilitatis abhorrere videtur Diodorum quem facultas critica et acutum ingenium plane deficiebant, tantum operae collocasse in temporibus exquirendis, ut praeter annalium scriptorem et chronographum ultro secutus sit rationem chronologicam Polybii antiquissimas Romanorum res gestas neutiquam per singulos annos digestas enarrantis.

[19]) Consules sequentis anni (388) XV, 82 e chronographi indice excerpsit Diodorus: „*Κατεστάθησαν Λεύκιος Αἰμίλιος Μάμερκος καὶ Λεύκιος Σέξτιος Λατερίας.*

[20]) Mommsen R. F. II, 288 suspicatur Diodorum nomina magistratuum a. 387 omisisse, quod iam in libro XII, 25 rogationes anni 387 copulatas cum legibus anni 304 ediderit.

Contra Niese l. l. p. 602 maiorem tribuit fidem Diodoro quam Livio ceterisque. Nam ex eis, quae Livius narrat de rogationibus Liciniis Sextiis, permulta miserrime esse ficta, primo cognoscitur obtutu. cf. Ed. Meyer l. l. p. 624. Porro lex agraria, quam hoc anno permulgatam esse vulgo creditur, optime quadrat ad ea tempora quibus tota Italia in Romanorum potestatem erat redacta, neque vero ad annum 387, quo vix totum Latium in Romanorum erat ditione.

vissimam, qua plebeiis ut consulatum gererent permittebatur, iam commemoraverat ad annum 304. (lib. XII, 25). Nam illum instituta et leges quas decemviris expulsis anno 304 esse latas prodit, iam in fonte suo eidem anno addicta repperisse neque ipsum res, quae multis annis distant, in unum coacervasse, magis magisque nunc consentiunt viri doctissimi. (cf. Nitzsch, Röm. Annal. p. 230. 235. Ed. Meyer. l. l. p. 620.) Itaque auctor a Diodoro usurpatus, si collegium anni 387 praeteriit, inter anarchiam et Sextii primum plebeium consulatum intervallum trium tantum habuit annorum. Quod cur aspernemur, non habemus causam. Nam sic ut Diodori fons computat etiam Eutropius II, 3. „resumpserunt tamen tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem et triennio perseverarunt; rursus consules facti“ (cf. Cassiod. chr. p. 600 M. Holzapfel Chr. R. p. 39, adn. 7.). Si igitur Diodori fons unum tantum magistratuum solitudinis annum computavit simulque non habuit magistratus eponymos a. 387, concludendum est apud illum annalium scriptorem numerum annorum qui intererant inter Romae incendium et Sextii consulatum quinque minorem fuisse annis quam apud Livium aliosque[21]). Etiam Diodorus inter Romae excidium et annum 388 non 23 computat annos, ut fasti Capitolini, sed 18 tantum. (Excipiendi nimirum sunt quinque illa collegia repetita ineunte libro XV, quae etiam in Diodori fonte hunc locum tenuisse nemo probabit.) Recentiorem vero chronographi indicem, ubi cognomina fastis erant addita, vix decessisse a vulgata traditione consentaneum est. Cognovit Diodorus discrepantiam quinque annorum inter chronographum et annalium scriptorem. Quid? Nonne prona est suspicio Diodorum magistratus a. 360—364 repetivisse ut compensaret illam differentiam?[22])

[21]) Omnia collegia quae per hoc temporis intervallum edit Livius aliique, extant etiam apud Diodorum ita ut vix credi possit Diodorum omisisse collegia, quae erant in eius fonte.

[22]) Infelici et artificiosa ratione Soltau declarare studet quomodo factum sit ut Diodorus ante rogationes Sextias quinque omitteret collegia (cf. Chr. R. p. 378). Gellius enim laudat locum e „Fabii“ cuiusdam Latinis annalibus (Soltau consulto semper dare videtur „Fabius Pictor“). Legimus apud Gell. N. A. V, 4. „ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto: quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est duovicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt. „Non inquit,

E similibus discrepantiis quae erant inter annalium scriptorem et fontem chronologicum etiam aliae confusiones fastorum Diodori profluxerunt. Inter annos

326 (XII, 75) *Τίτος Κοίντιος· Αὖλος Κορνήλιος Κόσσος* et
327 (XII, 78) *Λεύκιος Παπίριος Μουγιλανός Γάιος Σερουίλιος Στροῦκτος*

intericit Diodorus consules L. Quinctium et A. Sempronium (XII, 77). Quod collegium e duobus aliis collegiis esse consutum Mommsen olim statuit (Chr. Rom.[2] p. 122 adn. 226), nunc vero ipse improbata priore sententia (R. F. II, 262, 263) ex antiquiore fastorem indice esse haustum suspicatur; causas vero quibus ad hanc adductus sit sententiam non addit. Cichorius l. l. p. 216. adn. putat consules anni 326 Titum Quinctium, Aulum Cornelium Cossum, et eos, quos sequente anno edit Diodorus (XII, 77) Lucium Quinctium, Aulum Sempronium unos eosdemque esse viros;

duovicesimo, sed duo et vicesimo scribi oportuit. Quid enim est duovicesimo?" Cui scriptori annalium qui Soltavii sententia Diodori fons fuerat, annus quo primum e plebeiis consul creatus erat, vicesimus alter erat post Romae incendium. (Sic recte verba interpretantur Mommsen R. F. 378 adn. 127. Soltau Chr. R. p. 378 adn. 3). Soltau suspicatur Diodorum illam chronologicam adnotationem, quam invenerat in fonte suo, sic ut virum illum doctum Romanum, de quo dicit Gellius, falso intellexisse et „duovicesimo" idem fuisse atque „duodevicesimo" putasse. Quo errore esse adductum Diodorum, ut inde ab anno 364 usque ad finem anni 387 non viginti et tres, sed duodeviginti computaverit annos. Fac Fabium illum Diodori fontem fuisse! Nihilominus causae sat graves redarguunt Soltavii sententiam quae simplicitate et perspicuitate non commendatur. Nonne tantum curae et diligentiae attribuere possumus Diodoro ut credamus eum, priusquam deleverit quinque collegia, in fastorum suo indice seriem annorum inde ab incendio urbis usque ad Sextii consulatum percensuisse? Porro re recte perpensa ne numerat quidem Diodorus inter annos 367 et 387 duodeviginti annos ut persuadere nobis vult Soltau sed sicut alii viginti et tres, cum initio libri XV intercalet quinque collegia consulum Romanorum simulque continuet olympiades et archontum Atheniensium tabulam. Incidit praeterea Soltau suspicione sua in alias angustias et pugnat quasi secum ipse. Defenderat enim vir doctus in „Philol. Rundsch." 1884 p. 317 Fabium, illum annalium scriptorem, de cuius agimus fragmento, quadriennium anarchiae computasse. (sic etiam Mommsen l. l. p. 35 adn. 19). Eundem Fabium Diodori fontem fuisse putat. Nihilominus contendit l. l. p. 342, 383. Diodorum anarchiam unius anni debere annalium scriptori!

nam Diodorum apud scriptorem a se adhibitum consules anni 326 T. Quinctium et Aulum Cornelium corrupta forma sic legisse: L. Quinctium, Aulum Sempronium; itaque factum esse, ut Diodorus idem collegium et e chronographo, (XII, 75) ubi cognomina erant addita consulibus, et corrupte traditum ex annalium scriptore repetiverit.[23]) Aliter vero res se habere videtur. Scimus enim nunc consules A. Sempronium et L. Quinctium inter annos 326 et 327 a Diodoro interpositos legitimos fuisse magistratus anni 327 (cf. Soltau, Chr. R. p. 380). Quam sententiam recte se habere, discimus e Livio, qui consules anni 327 item atque Diodori chronographus vocat L. Papirium Mugilanum et C. Servilium Structum Ahalam (Liv. IV, 30). In narratione vero quae ad hunc spectat annum, consul huius anni bis appellatur Quinctius. IV, 30, 15 „ut Quinctius consul de bello ad populum ferret.“ IV, 31,1. „T.[24]) Quinctius ex consulatu,“ (agitur de creatis tribunis militaribus). Putandus igitur est Diodorus in annalium scriptore consules anni 327 repperisse L. Quinctium et A. Sempronium, apud chronographum vero L. Papirium Mugilanum et C. Servilium Structum. Ut iniuriam inferret neutri, utrumque transtulit collegium.

Fasti annorum 360—387 quos edit Diodorus et numeris et nominibus tribunorum militarium valde dissentiunt a Livianis aliisque. Primus Mommsen R. F. II p. 225 sqq. sagacissime perspexit et rectissime demonstravit in Livii aliorumque fastis multa esse interpolata nomina quae auctor a Diodoro usurpatus non habuit. Notandum est, Diodorum seriem magistratuum de quibus disputamus, non e chronographo, sed ex annalium scriptore excerpsisse.[25])

Ipse autem index chronologicus a Diodoro usurpatus, ubi cognomina erant adscripta magistratuum nominibus,

---

[23]) Concedo commendari hanc sententiam, quod nomen gentile „Quinctus“ et praenomen alterius consulis „Aulus“ in utroque extant collegio.

[24]) Haud dubie inter se confunduntur T. et L. Quinctius. Titus Quinctius consul erat anni 236. De quo non dici potuit „ex consulatu“. cf. Solt. l. l. p. 380 adn. 2.

[25]) Etiam in fastis annalium scriptoris a Diodoro adhibiti interpolationes latere recte cognoverunt Seeck. T. Pont. p. 79 sqq. Matzat, Chr. R. I. p. 198. aliique.

nonnumquam meliorem praebet memoriam quam fasti translaticii. Quod quo iure contendamus, demonstrandum est.

Apud Livium IV, 23, 1—3 legimus haec. „Eosdem consules sequenti anno refectos, Julium tertium, Verginium iterum apud Macrum Licinium invenio. Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium in eum annum edunt, ceterum in discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur, neuter tribunos militum eo anno fuisse traditum a scriptoribus antiquis dissimulat." Diodoro teste XII, 53 a. 320 non consules, sed tres tribuni militares magistratus gerebant. Cum e tribus quae edit Diodorus nominibus duo gerant cognomina, illum huius anni magistratus eponymos chronographo debere perlucidum est. Quae cum ita sint, index chronographi a Diodoro excerpti fluxisse videtur ex fastorum quodam exemplari quod nonnumquam praebuit antiquiorem et fidiorem memoriam fastis annalium scriptorum a Livio usurpatis.

Similiter res se habere videtur cum Q. Fabii consulatu (272) a Diodoro praetermisso. Inter annos autem 297 et 298 intercalat XII, 3 Marci Fabii consulatum, qui nusquam alibi invenitur. Plane adstipulor Mommseno (R. F. II 259 sqq.) rato Fabii consulatum 298 frustulum esse antiquioris memoriae, postea vero esse extrusum a fastorum quodam redactore quod repugnat famae, qua in pugna apud Cremeram commissa (277) tota Fabia gens uno excepto Q. Fabio (cos. 287, 289, 295) periisse vulgo credebatur. Si Quintus Fabius suae gentis unus erat superstes, fieri non potuit ut iam anno 298 Marcus Fabius consulatum adipisceretur. Quae cum ita sint optimo iure Mommsenum l. l. Matzatium Chr. R. I. 220 secuti credimus M. Fabii consulatum a Diodoro inter annos 297 et 298 (Ol. 82, 3) interpositum ad antiquam et bonam redire memoriam. Cum vero consules huius anni (Diod. XII, 3) ternis appareant nominibus (L. Quinctius Cincinnatus, M. Fabius Vibulanus), iam habemus alterum exemplum quo chronographi indicem meliorem praebere memoriam quam Livium fastosque Capitolinos demonstratur.[26])

[26]) Cichorius l. l. p. 215 adversatur Mommseno hac sola causa quod adiectis cognominibus consules a Diodoro intercalati leguntur. Negat

Vidimus igitur eas Diodori fastorum confusiones, quae maxime sunt notabiles, ortas esse e duplice ab eo adhibito fastorum indice — chronographi dico et annalium scriptoris — simulque cognovimus fastos recentioris quoque chronographici fontis, quamquam magistratus additis cognominibus leguntur, manasse videri e fastorum exemplari quod nonnumquam servaverat antiquiorem et meliorem memoriam fastis translaticiis.

Quibus praemissis nunc denique inquiramus in commentarios historicos quatenus continentur libris Diodori XI—XX, simulque enucleare conemur quos ille fontes in usum suum converterit. Quos ex antiquo quodam annalium scriptore derivatos esse nunc omnes fere consentiunt. Quibus in antiquissimis annalibus Romanis, quorum primarium fontem annales maximos fuisse discimus e Ciceronis de or. II 12, 52, praescriptis consulum nominibus (cf. Serv. ad Verg. Aen. I, 373) res domi militiaeque gestae brevissime erant enarratae, nomina vero imperatorum quorum auspiciis bella gerebantur, omissa fuisse videntur. Eundem morem historias scribendi cognoscimus apud Diodorum. Res quae quoque anno gerebantur, fere nunquam inter consules distribuuntur (cf. Nep. Cato 3. Plin. n. h. VIII, 11. Liv. X 37, 14). In omnibus commentariis historicis, qui inveniuntur in libris XI—XX nomine referuntur septem dictatores, quinque magistri equitum, quattuor tribuni plebis anno 283 creati, praeterea Sp. Maelius (XII, 37), Sp. Cassius (XI, 37), Manlius (XV, 35); accedunt censores anni 444 (XX, 36) Appius Claudius, et L. Plautius;

---

igitur eos ex antiquioris memoriae reliquiis esse petitos. Qui scrupulus removetur eis quae p. 19 disputavimus de fide et auctoritate indicis chronographi a Diodoro usurpati.

[27]) Consentiunt inter se Mommsen et Matzat consulatum M. Fabii ex antiqua fluxisse memoria, collegium vero anni 272 culpa Diodori esse omissum statuit Mommsen R. F. II. 262 adn. 52; Matzat autem l. l. p. 219 suspicatur eundem fastorum redactorem, qui deleverit Fabii consulatum (Ol. 82, 3) inter annos 271 et 273 intercalasse Q. Fabium, et C. Julum (Liv. II 43, 1) ne Fabiam gentem uno privaret consulatu. Utraque coniectura habet quo commendetur. cf. Soltau. l. l. p. 384. Utut res se habet, id saltem constat consulatum M. Fabii (ol. 82, 3) ex antiquiore memoria manasse.

denique ibidem scriba Flavius et consules anni 444 qui contra Samnites et Etruscos bellum gesserunt (XX, 35). Accedit consul a. 450 (XX, 101.) Publius Sempronius (cf. Cichor. l. l. p. 211). Porro brevitas et exiguitas Diodori optime quadrant ad ea, quae Dionysius I, 6 indicat de antiquissimorum annalium scriptorum ratione res gestas enarrandi. „*τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος* (Fabius et Cincius) *οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψεν, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἀνέγραψαν*". Similiter Cicero de leg. I, 2, 6. „Nam post annales pontificum maximorum, quibus nil potest esse iniucundius, si aut ad Fabium aut ad eum qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes". Notandum denique est fere omnia quae Diodorus de rebus Romanis edit, spectare ad bella quibus Romani Italiam subegerunt, cum seditiones internae et certationes acerrimae, quae exarserunt inter patricios et plebeios, plerumque silentio praetereantur [28]). Supersedeo singulis examinatis exemplis illustrare quantopere distet Diodorus cum brevitate, tum fide et auctoritate a Livio, Dionysio, aliisque. Constat quam impudenter et insolenter recentissimi annalium scriptores Macer, Antias, novas res ad ea, quae simpliciter enarrata acceperint, amplificanda ipsi excogitaverint, alias res ut melius convenirent cum suis rationibus, immutare non dubitaverint, quin etiam facta plane ementita in narrationis tenorem inseruerunt. (cf. Mommsen R. F. II 236 sqq. Kaerst in Philol. suppl. XIII. p. 768; et in Phil. IIL. p. 306 sqq.). Non raro ex eo, quod Diodorus res, quae apud alios historicos copiose et gloriosis verbis describuntur, silentio omittit, cognoscimus quanto maior fides et auctoritas adiungendae sint annalium scriptori a Diodoro usurpato quam Antiati, Claudio, Macro quos Livii et Dionysii primarios fuisse fontes scimus.[29])

---

[28]) Livium et Dionysium copiosas narrationes domesticorum tumultuum debere Licinio Macro prona est coniectura virorum doctorum.

[29]) Niese e. g. tam parvi aestimat Livium, Dionysium, alios, ut fere solius Diodori confidat auctoritati in antiquissimis enarrandis rebus. cf. „*Abriss d. Röm. Gesch.*"

E. g. primum quod dicitur bellum Samniticum (411—413) a Diodoro ne verbo quidem commemoratur, quamquam si Livio credimus, hoc bellum superabat fere omnia alia magnificis et egregiis Romanorum facinoribus. Profecto verisimillimum est totum primum bellum Samniticum esse fictum a recentioribus annalium scriptoribus et rebus commenticiis fictisque inaudita licentia esse auctum. Diodorum si egregias Romanorum victorias apud Suessulam et Gaurum montem de Samnitibus latas in fonte suo deprehendisset, puto similiter silentio praeteriturum fuisse atque victoriam quam anno sequente Romani adepti sunt de Latinis et Campanis (414, XVI, 90). Ignorasse autem videtur auctor a Diodoro adhibitus fabulam notissimam qua P. Decius Mus in pugna ad Vesuvium commissa pro salute rei publicae deis se devovisse dicitur (Liv. VIII 9). Ex antiquiore annalium scriptore Diodorum hausisse etiam inde apparet, quod numeri hostium qui a Romanis in pugnis sunt capti vel occisi, nondum incredibiliter sunt aucti (cf. Mommsen R. F. II p. 263). Quod optime cognoscimus libros XIX et XX quibus bellum describitur Samniticum comparantes cum Livio qui e fontibus suis (Antiate?) immensos edit numeros. De Diodori narratione quae spectat ad bellum Samniticum rectissime indicat Niese l. l p.603 adn. 1. „*Der beste Bericht bei Diodor XIX und XX beginnt mit dem Jahre 318 vor Christus; der Livianische ist im wesentlichen nichts als eine Bearbeitung und Fälschung des Diodorischen*“ [30]).

---

[30]) Diodorum omnia quae in fonte suo repperit, in bibliothecam transtulisse vix crediderim. Procul dubio ea, quae memoratu non sat digna esse videbàntur, omisit, alia contraxit, nonnumquam puto negligentia factum esse ut res Romanas addere praeterierit. Neque vero Diodorum plane temerarie fontem suum despoliasse, non curantem quae antea ex auctore repetiverit, quae omiserit facile potest demonstrari. XIV 98, legimus haec: „*πρὸς δὲ (Αἰτωλοὺς) πόλεμον τὸ τέταρτον.*“ E corruptela: „*Αἰτωλοὺς*“ restituendam esse formam *Αἰκίκλους* vel „*Αἴκλους*“ discimus e Livio V 27. Quodsi bella a Romanis contra Aequos gesta quorum fit mentio a Diodoro, perlustraverimus, bellum anni 360 quartum esse ab illo commemoratum inveniemus. (270, 322, 340, 360). Quae cum ita sint aut censeamus necesse est etiam Diodori fontem inter annos 270 et 360 quattuor tantum edidisse bella (Eodem intervallo Livius triginta fere enumerat bella contra Aequos gesta) aut Diodorum ea tantum numerasse quae antea ediderat. Saepius autem levitate non potest absolvi.

Diodorum quaecunque in libris XI—XX de antiquissimis rebus Romanis tradit, ex **uno** deprompsisse fonte omnes fere congruunt viri docti (cf. Momms. R. F. II 271: Solt. Chr. R. p. 376; Ed. Meyer l. l. p. 627; Klimke l. l. p. 24). Quae cognosci posse ex eadem natura et specie quas Diodori narrationes, quatenus ad Romanas spectant res, prae se ferant. Quandam aequabilitatem agnosco — de singulis supra iam disputavimus — tamen prorsus Mommseno adstipulari nequeo.

Ac primum quidem monendum est in libris XIX et XX multo copiosius et uberius res enarrari quam in libris XI—XVI ubi plerumque brevissimae tantum inveniuntur adnotationes historicae. Quas esse reliquias annalium maximorum quos excerpserant antiquissimi scriptores nemo infitias ibit. Qua in priore parte ter fusior fit oratio, primum ubi de decemviris (XII, 24—26) deinde ubi de dono Delphos misso (XIV, 93) denique ubi de Romae incendio (XIV, 113—117) sermo est. Neque vero impedimur censere Diodorum in libris XIX et XX et in antecedentibus **unum** usurpasse auctorem, praesertim cum iam antiquissimos annalium scriptores bellum Samniticum sat diligenter et accurate descripsisse sciamus. cf. Fab. fr. 18, 19. Quae cur miremur eo minor est causa, quod Fabius, Cincius eorumque aequales vix centum annis inferiores erant bellis Samniticis. Quaerendum nunc est, num Diodorus ex aliis fontibus ea quae sumpsit ex annalium scriptore auxerit et suppleverit.

Romanorum annalium scriptores antiquissimos, cum ad priscas enarrandas res nullo fere nisi annalibus maximis uti potuerint fonte — nam Fabium, Cincium aliosque Graecorum

---

Quamquam XIV 117 (agitur de Camilli damnatione) legimus: „*περὶ οὗ κατὰ τοὺς οἰκείους χρόνους ἐπιμνησθησόμεθα*“: tamen in libro XV ne verbo quidem commemorat hanc rem. Praeterea in libris XVII et XVIII (416—435) plane desunt res Romanae. XIX, 10 (436) denuo incipit his verbis: „*κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι μὲν ἔνατον ἔτος ἤδη διεπολέμουν πρὸς Σαμνίτας.*“ Unde effici videtur Diodori fontem etiam antecedentibus annis bella a Romanis contra Samnites gesta enarrasse. Nonnumquam etiam facta cohaerentia inter se ad complures vero annos pertinentia in unum coacervasse videtur annum eo nimirum consilio, ne res quae inter se cohaerebant dirumperet. Sic res se habere videtur de cratera Delphos missa (XIV, 93. cf. Liv. V, 28) de Gallorum invasione (XIV, 113—117).

auctorum historias, e. g. Timaei, Hieronymi, quos breviter perstrinxisse res Romanas Dionysius I, 7 testatur in usum suum convertisse vix quisquam defendet — non verisimile est commemorasse res quae cum historia Romana non cohaerebant. Cuius modi facta, si inter res Italicas a Diodoro traditas (incipiuntur omnes fere adnotationes historicae verbis „*κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν*“) investigaverimus, optimo iure annalium scriptori ab illo adhibito denegabimus aliique addicemus fonti.

Huc spectare videntur, quae XII, 31 docet de nomine et origine Campanorum: „*ἐπὶ δὲ τούτων κατὰ μὲν τὴν Ἰταλίαν τὸ ἔθνος τῶν Καμπανῶν συνέστη καὶ ταύτης ἔτυχε τῆς προσηγορίας ἀπὸ τῆς ἀρετῆς τοῦ πλησίον κειμένου πεδίου*“. Mommsen R. F. II 281 dubitat, utrum e Graeco an Romano fonte hanc adnotationem excerpserit Diodorus. Prior commendatur sententia, quod iam Hecataeus fr. 27 Capuam conditam commemoraverat; altera, quod nominis etymologia non e Graeca sed Latina lingua derivata est. (cf. Liv. IV 37, 1). Id saltem constare mihi videtur ex annalium scriptore illam non esse sumptam. Si Graecum agnoscimus fontem facile potest cogitari de Timaeo. Etymologiam quam in medium profert Diodorus, suspiceris illum e Castore, chronographico suo fonte, quem etymologias tabulis chronologicis adnectere adamasse infra demonstrabimus deprompsisse. Aliquid certi de auctore vix poterit enucleari[31]).

Alium locum XII, 76, ubi de Cumis a Campanis expugnatis narratur, Graeco attribuam fonti (cf. Mommsen R. F. II, 281. Cohn. Phil. l. l. 3. adn. 3). Scimus enim in libris XI sqq. Diodorum Timaeum secutum res Siciliae enarrasse[32]). Livius quoque IV, 44 brevissime commemorat Cumas esse captas, alium vero atque Diodorus edit annum (334). Cuius fons annum 326 comprobasse videtur.

Praeterea in libro XIV cap. 113 nonnulla e Graecis fontibus addidisse videtur Diodorus. Legimus enim ineunte capite duplicem memoriam de origine Tyrrhenorum: „*τού-*

---

[31]) Quam sententiam fortasse quispiam improbet, quod eadem etymologia comprobatur a Livio l. l. Sed in libro quoque I. cap. 3 nonnullae reperiuntur etymologiae quas Castor in tabulis habuerat.

[32]) cf. Volquardsen, *Untersuchungen über die Quellen der Griechischen und Sicilischen Geschichten bei Diodor, Buch* XI—XVI) p. 80 sqq.

τους δ' ἔνιοί φασιν ἀπὸ τῶν ἐν Τυρρηνίᾳ δώδεκα πόλεων ἀποικισθῆναι, τινὲς δέ φασιν Πελασγοὺς πρὸ τῶν Τρωικῶν ἐκ Θετταλίας φυγόντας τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος γενόμενον κατακλυσμὸν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ κατοικῆσαι". Priorem quam Livius quoque V, 33 comprobat memoriam, e Romanis manasse fontibus non dubito, alteram vero ad Graecum redire auctorem verisimilius est. Similiter iam tradiderat Hellanicus a Dionysio laudatus I 28. „*Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος τοὺς Τυρρηνούς φησι Πελασγοὺς καλουμένους πρότερον, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ νῦν παραλαβεῖν ἣν ἔχουσι πρόςηγορίαν*". Quam alteram memoriam Diodorum sumpsisse e Timaeo, hac potissimum credo causa, quod Polybius II, 16 ignorantiam Italiae septentrionalis opprobrio dat Timaeo. Unde sequitur Gallorum res illum descripsisse. cf. Tim. fr. 36—41.

Porro rectissime perspexit Wilamovitz (cf. R. F. II p. 300 adn. 5) eodem in capite 113, synchronismum, quem profert Diodorus inter Rhegion a Dionysio captum et Gallorum invasionem, e Timaeo esse petitum. Quae confirmatur sententia quod capita 111—112, 107—109, aliasque partes libri XIV, e Timaeo hausit Diodorus. cf. Volquardsen l. l. p. 74. Polybius quoque I, 6, eundem synchronismum e Timaeo sumpsisse videtur.

Inter ceteros commentarios historicos longiorem indagavi partem quam annalium scriptori derogare audeo. In libro XX c. 101 progressus est Diodorus usque ad finem belli inter Romanos et Samnitas gesti. Bella Samnitica illum ex annalium scriptore excerpsisse manifestum est. Ea vero, quae in capitibus 104 et 105 enarrat, e Graeco fluxisse fonte persuasum mihi habeo. Quibus capitibus fuse et copiose res a Cleonymo, duce Lacedaemoniorum anno 451 gestae describuntur. Quaecunque vero tradit Diodorus de factis consiliisque Cleonymi, vix spectant ad res Romanas; neque comparari possunt cum eis quae Livius X 2 (a. 452) de Graecorum classe Cleonymo duce ad Italiae litora adpulsa et Aemilii consulis victoria memoriae tradit. Diodorus narrat anno 451 Tarentinos quibus bellum fuerit cum Romanis et Lucanis a Lacedaemoniis petivisse, ut Cleonymum cum exercitu auxilio sibi mitterent. Quem magnis cum copiis Tarentum venisse. Qua re perterritos Lucanos cum Tarentinis

foedus icisse. Paucis vero post Cleonymum a Lucanis adiutum Metapontum occupasse et etiamsi quasi amicus in urbem ingressus sit, tamen a civibus sescenta exegisse talenta simulque ducentas virgines pulcherrimas obsides accepisse. Postea illum consilium cepisse in Siciliam navigandi et Agathoclis potiundi regni. Hac vero destitisse expeditione et Corcyram vectum insulam despoliasse. Paulo post praesidio Corcyrae relicto in Italiam reversum esse quod Tarentini desciverint. Adiungit Diodorus res quae postea a Cleonymo in Asia sunt gestae. Ea quae tradit Diodorus fere nullo modo cohaerent cum rebus Romanis. Vix quisquam annalium scriptor tam copiose res Tarentinas enarraverat. Accedunt vero aliae causae. Inveniuntur enim singula, quae melius convenire mihi videntur auctori Graeco quam Romano e. g. quae iudicat de Cleonymi Lacedaemonii luxuria et libidinibus fons a Diodoro usurpatus. Quae cum ita sint, capita 104 et 105 e Graeco fonte (Timaeo, Hieronymo?) esse petita credo[38].

Restat ut inquiramus in Diodori lib. XI, 53; XII, 64; XIV, 102; XIV, 116; et XIV, 117 quod caput e diversis fontibus consutum esse videtur.

XII 64 Diodorus tradit A. Postumium dictatorem capitis damnasse filium suum qui iniussu decesserit praesidio. Incipit narrationem Postumii facinoris his verbis: „*ἴδιον δέ τι καὶ παντελῶς ἄπιστόν φασι πρᾶξαι τὸν Ποστούμιον.*“ Cogitari potest Diodorum duos inter se non consentientes adiisse fontes, praesertim cum Livius de filio a patre occiso non inter se conspirasse testetur auctores IV 29, 6: „nec libet credere, et licet in variis opinionibus.“ Sed eodem fortasse jure contendat aliquis aut Diodorum aut fontem ab eo usurpatum addidisse „*φασι*“ quod non crediderit Postumii scelus ab auctoribus traditum.

Similiter XI, 53 (Fabiorum ad Cremeram interitus) et XIV, 102 (agri Veientani plebi divisi) alium praeter annalium scriptorem inspexisse videtur fontem Diodorus. Apud Diodorum XIV, 102 legimus haec: „*κατ᾽ ἄνδρα δόντες πλέθρα*

[38]) Rospalt in Phil. XXIII p. 72 sqq. egit de rebus a Cleonymo gestis; de fonte vero Diodori nil protulit.

τέσσαρα, ὡς δέ τινες, εἴκοσιν ὀκτώ;" apud Livium V, 30, 8 „ut agri Veientani septena iugera plebi dividerentur." Quem dissensum tollere conatur Nieb. H. R. II, 563. cf. Momms. R. F. II p. 272.

Gallorum invasionem Romaeque incendium (XIV, 113—116) ex annalium scriptore transtulisse Diodorum verisimillimum est. In fine vero cap. 116 ex alio fonte haec addidisse videtur: *„λέγουσι δέτινες καὶ διότι τὸν χρυσοῦν κόσμον αἱ γυναῖκες εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν εἰςενέγκασαι ἔτυχον παρὰ τοῦ δήμου τιμῆς, ὥστ' ἐξουσίαν ἔχειν ἐφ' ἁρμάτων ὀχεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν."* Ac primum quidem monendum est, matronis ob munificentiam, si Livio V, 25 credere malumus, quocum conspirat Festus p. 245, non anno 367 post Romae incendium, ut tradit Diodorus, sed iam anno 359 post Veios captos esse concessum ut carpentis pilentisque per urbem veherentur. Quam fabulam aetiologicam in annalium scriptore repperisse Diodorum vix crediderim.[34])

Ineunte capite 117 victoriae enumerantur quas Camillus dictator postquam Romam reliquerunt Galli, de Volscis, Aequis, Etruscis tulerat. Quam primam capitis partem annalium scriptori attribuere non dubito. In fine vero eiusdem capitis discrepantem memoriam profert Diodorus. *„ἔνιοι δέ φασιν αὐτὸν ἀπὸ Τούσκων θρίαμβον ἀγαγεῖν ἐπὶ λευκοῦ τεθρίππου κτα."* Unde conici potest finem capitis et eam, quae antecedit, narrationem non ex eodem fluxisse fonte. Quae cum ita sint, suspicor mediam capitis partem inde a verbis *„τῶν δ' ἀπεληλυθότων Γαλατῶν ἀπὸ Ῥώμης κτα."* usque ad *„ἐκωλύθη θρίαμβον ἀγαγεῖν,"* non ex annalium scriptore, cui initium addiximus capitis, sed ex alio (Graeco?) manasse fonte. Quae confirmatur sententia, quod memoria, quam Diodorus profert de auro recuperato[35]) et Camilli triumpho a tribunis prohibito, nusquam alibi invenitur apud historicos Romanos. Accedit quod media illa pars nullo fere modo cohaeret cum eis quae in priore parte capitis narrat Diodorus.

[34]) Mommsen R. F. II 271—272, quamquam Fabium antiquissimum annalium scriptorem Diodori fontem fuisse putat tamen eum discrepantes memorias de quibus agimus, iam in fonte suo invenisse demonstrare studet.

[35]) Solus Servius ad Aen. VI, 826 similem edit narrationem cf. Mommsen R. F. II p. 335/336 adn. 82.

Initium igitur et finem capitis 117 annalium scriptoris esse, mediam partem alius, Graeci fortasse, fontis puto.[86])

Restat igitur quaestio quem annalium scriptorem in usum suum converterit Diodorus. Ipse ne ansam quidem nobis suppeditat; nam in commentariis historicis librorum XI—XX ne unus quidem laudatur scriptor historicus. Id tantum e brevitate et exilitate eorum quae prodit Diodorus de antiquissimis Romanorum rebus gestis dilucide perspicimus, illum non copiosos et verbosos Claudii, vel Antiatis secutum esse annales.

De L. Cincio Alimento.

Diodorum res Romanas e Cincii Alimenti annalibus Graece scriptis sumpsisse Matzat in Chronol. Rom. I 263 sqq. comprobare studuit. Quae sententia probabilitate non commendatur. Num quis facile sibi persuadeat, Diodorum annalium scriptorem, cuius gloriam Fabii annales apud posteros mox obscurasse videntur, consuluisse ad res Romanas enarrandas? Paucissimis reliquiis Cincii annalium quae temporum tulerunt iniquitates Matzat ad suam confirmandam opinionem uti nequit (cf. Pet. H. R. R. p. 40/43). Quin etiam ea quae profert Diodorus de morte Maelii XII, 37 a. 315 *„ἐπὶ δὲ τούτων ἐν τῇ Ῥώμῃ Σπόριος Μαίλιος ἐπιθέμενος τυραννίδι ἀνῃρέθη“*, multo distant brevitate a Cincii narratione (fr. 6. cf. Mommsen R. F. II 200). Enucleasse vero sibi videtur Matzat rationem chronologicam quam sequitur Diodorus quadrare ad fastos Cincii (cf. l. l. p. 288 sqq.). Cuius de temporum ratione fere nihil habemus compertum nisi annum urbis conditae ol. 12, 4. 729 a. Ch. n. (cf. Dionys I, 74. fr. 4 P.) Omnes vero ratiunculae Matzatii quamvis artificiose et sagaciter excogitatae concidunt, cum Diodorum fastos e duplice excerpsisse sciamus fonte, Castore et annalium scriptore. cf. Cichor. l. l. p. 212. Iam antea Niese, Philol. Anz. XIV p. 560 et Soltau Philol. Runds. 1884 p. 301. aliis causis Matzatium redarguerunt.

---

[86]) Omnes alii consentiunt Camillum a. 358 Veiis captis curru equis albis iuncto triumphum egisse. cf. Liv. V, 23; Plut. Cam. 7. Diodori memoriam antiquiorem esse demonstrat Mommsen l. l. p. 337—338.

De L. Calpurnio Pisone.

Matzatio nemo adhuc quod sciam adstipulatus est; multo pluribus arridebat Clasoni sententia, qui primus, ni fallor, in Annal. Heidelberg. 1872 p. 841 sqq. suspicatus est, Pisonis annales Latine scriptos Diodori fuisse primarium fontem. Postea Klimke, *Diodorus Siculus und die römische Annalistik* et L. Cohn Phil. XLII. p. 1 sqq. eandem defendebant sententiam. Non flocci facio permulta a Clasono eiusque asseclis prolata argumenta, quippe quae tam incerta sint ut eisdem adhibitis causis non Pisonem, sed Fabium aut alium antiquiorem annalium scriptorem a Diodoro esse usurpatum contendi possit. Observavit e. g. Cohn. l. l. p. 19 naturam et politica, ut ita dicam, consilia quae in rebus Romanis a Diodoro narratis perspexisse sibi videtur, aptissima esse Pisoni. Quem optimatium causae se addixisse, acerrimum Grachorum fuisse adversarium et omni virium contentione eos refellere esse conatum constat. Quae cum ita sint, credibile non est Pisonem in annalibus patronum plebeiorum eorumque tumultuum extitisse. Quid? Nonne idem valet e. g. de Fabio Pictore? Pisonem vero neutiquam infensis et odiosis dictis insectatum esse plebeios cognoscimus e fragmento 27, a Gellio N. A. VII, (VI) 9 servato quod ad Cn. Flavii spectat aedilitatem. Quo cum fragmento quod ad verbum transposuit Gellius, vel in verbis quibusdam Livius VIIII, 46, 1—10 et Plin. n. h. XXXIII, 17—19 ita conspirant, ut Peterum l. l. p. 131 secutus et Livium et Plinium Pisonis premere vestigia putem. Contendunt vero Klimke p. 36 et Cohn l. l. p. 19 ea quae tradunt Diodorus XX, 36 et Livius VIIII, 29, 6 sqq. 33—34; 46 de Claudii censura et Flavii aedilitate, e Pisone esse derivata. Quae temeraria est suspicio et omni caret fundamento. Inveniuntur enim inter Diodorum et Livium discrepantiae tam notabiles, ut de communi fonte ne cogitare quidem liceat. E. g. collega Claudii apud Diodorum audit L u c i u s Plautius, in fastis vero Capitolinis et apud Livium C a i u s Plautius (IX, 29, 6; 33, 4; 34, 10). Praeterea Diodorus ne verbo quidem commemorat ea, quae novaverat

Appius in rebus sacris (cf. Liv. VIIII 29, 6—11; 30, 5—10). Diodorus vero narrat Appium per 80 stadia aquas in urbem duxisse magnasque pecunias iniussu senatus ad hoc opus consumpsisse. Item Diodorus viam ab Appio munitam diligenter describit, cum Livius IX 29, 6 haec Appii merita quasi obiter perstringat. Si quis Diodori et Livii narrationes inter se comparaverit, alias quoque investigabit discrepantias, Nobis hae sufficiant.

Res a regibus Romanorum gestas non e Pisone sumpsisse Diodorum comprobatur, quod apud Diod. X 1. Tarquinius Superbus Prisci filius appelletur, Piso vero Prisci nepotem fuisse Superbum defenderat. (cf. fr. 15 Dionys. Hal. IV, 7; 28; 31; 33; Liv. I 46, 4). Piso id potissimum egit historiis suis, ut antiquas morum probitatem et disciplinam renovaret et repeteret itaque aequalium mores corruptos emendaret (cf. fr. 8. 25. 33. 40.) Cuius consilii apud Diodorum ne vestigium quidem potest indagari.

Adde Pisonis fragmenta 23 et 26, quibus luce clarius fit Pisonem a Diodoro non esse usurpatum.

I. Apud Livium IX 44, 2 legimus haec: „Creati consules L. Postumius, Ti. Minucius. Hos consules Piso Q. Fabio et P. Decio suggerit biennio exempto quo Claudium Volumniumque et Cornelium cum Marcio consules factos tradidimus. Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules falsos ratus, transcenderit, incertum est“. Omisit igitur Piso collegia annorum 447, 448. Utrumque vero invenitur apud Diodorum XX, 45; 73. Quam ut tollant difficultatem, frustra operam perdunt ei qui e Pisonis annalibus hausisse Diodorum putant. Clason. l. l. suspicatur illum praeter Pisonem usurpasse fastos vulgares eosque Pisonianis praetulisse. Sed supra iam vidimus fastos libr. XIII—XX, ubi binis tantum nominibus apparent consulum nomina, ex annalium scriptore excerpsisse Diodorum. Infelicissime sibi fingit Klimke p. 37. Pisonis annalium lectorem nescioquem duo, quae omiserat collegia Piso, inter 446 et 449 intercalasse et Diodorum tali interpolato Pisonis annalium exemplari usum esse. Num lector ille „diligens“ induxit in Pisonis textum etiam adnotationes historicas quas adnectit Diodorus anno 448? Ac ne Cohnio quidem contigit

ut removeret difficultatem. Putat p. 20/21 Diodorum fastos non ex annalium scriptore, sed ex alio chronographicó fonte excerpsisse. Sic se aliqua ex parte habere rem in libris XI et XII, neque vero in libris posterioribus iam identidem diximus.

II. Sequitur ut alterum excutiamus locum Diodori XI,68 comparatum cum Pisonis fragmento 23. Livius II, 33, 2 testatur a. 260 quinque esse creatos tribunos plebis, addit vero ipse „sunt qui duos tantum in sacro monte creatos tribunos esse dicant ibique sacratam legem latam.“ Paulo infra II 58, 1—2 aperte dicit anno 260 duos tantum creatos, annno 280 tres additos esse Pisonem tradidisse. Liceat totum exscribere locum: „Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt, numero etiam additos tres, perinde ac duo antea fuerint, Piso auctor est; nominat quoque tribunos, Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Jcilium, L. Mecilium.“ Item Cicero d. re publ. II, 34 aliique de duobus tantum a. 260 creatis tribunis tradunt. Quam Diodorus secutus sit sententiam ignoramus cum lib. XI initium faciat cum anno 268. XI, 68 (283) apud Diodorum legimus haec: „ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις τότε πρώτως κατεστάθησαν δήμαρχοι τέτταρες, Γάιος Σικίνιος, καὶ Λεύκιος Νεμετώριος, πρὸς δὲ τούτοις Μάρκος Δουίλλιος καὶ Σπόριος Ἀκίλιος.“ Videmus igitur quattuor nomina quae edit Diodorus congruere cum quattuor ex illis quinque nominibus quae Piso a. 283 Livio teste memoriae tradiderat. Quae cum ita sint nimis confidenter statuerunt viri docti (cf. Schwegl. H. R. II 550 adn. 2. Klimke p. 35. Cohn p. 19) culpa ipsius Diodori vel librarii alicuius in textu excidisse quintum nomen „L. Mecilium“; simulque concluserunt Pisonem a Diodoro esse excerptum. Quam sententiam si comprobamus, credamus necesse est in Diodori contextu genuinam scripturam „πέντε“ a nescio quo librario mutatam fuisse in „τέσσαρες.“ Cui opinioni graves iustaeque obstare mihi videntur dubitationes. Mommsen reiecta priore sua sententia (cf. Staatsrecht II² 263.) R. F. II 338 adn. 85. aeque atque E. Meyer l. l. p. 617 et Niese l. l. p. VIIII sqq. ea quae Diodorus tradit, mutare non audent rati **quattuor** nomina satis confirmari addito vocabulo τέσσαρες. Diodorus igitur antiquiorem et meliorem prodere videtur memoriam

simulque sequitur illum in usum suum convertisse annalium scriptorem qui aetate praecesserat Pisonem cf. Meyer l. l. 6. 617.[37])

De Fabio Pictore qui Latine scripsit annales.

Quomodo factum sit ut nonnulli viri docti (cf. pag. 2) Fabii Pictoris Latinos annales statuerent Diodori fontem fuisse, facile potest cognosci. Conciliare inter se studebant sententias Mommseni, qui Pictoris Graecos, et Meyeri, qui Latine scriptos annales a Diodoro esse excerptos contendunt. Cum vero de Latinis Fabii cuiusdam Pictoris annalibus multo aliter iudicem quam omnes nunc quod sciam viri docti, diligentius examinemus cum testimonia, quae ad Fabii Latinos annales referuntur, tum fragmenta quae congessit Peter, H. R. R. p. 109—110.

Fabium Pictorem antiquissimum Romanorum annalium scriptorem Graeca usum esse lingua aperte dicit Dionysius I, 6. „*ὁμοίας δὲ τούτοις καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόιντός τε Φάβιος καὶ Λεύκιος Κίγκιος ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους κτα.* Item Cic. de div. I, 21, 43. „Sint haec ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium quod nimirum in[38]) Fabi Pictoris Graecis annalibus eiusmodi

---

[37]) Alia est quaestio utrum ea, quae tradit Diodorus, ad primam tribunorum spectent electionem (sic statuit Niese), an ad primam quattuor tribunorum electionem. Hanc opinionem praefert Ed. Meyer l. l. et Schmidt, Herm. XXI, p. 466. Qui viri docti suspicantur vocabula „*πρὸς δὲ*“ indicare numerum esse auctum. Quam sententiam falsissimam esse, docent tribunorum militum indices, ubi saepissime tertium vel quartum nomen adnectitur additis vocabulis *ἔτι δὲ*, vel *πρὸς δὲ τούτοις*, quamquam de aucto numero ne cogitari quidem potest. *ἔτι δὲ* a. 328, 372, 373, 376. *πρὸς δὲ τούτοις* 340, 385. In uno indice *ἔτι δὲ* et *πρὸς δὲ τούτοις*: „330, 374, 375, 377.

[38]) Libri exhibent: „in numerum Fabi.“ „Nimirum in Fabi“ excogitavit Dederich (quaest. philol. p. 3—5) cf. Pet. H. R. R. p. LXXVIII. adn. 1 Wachsmuth, praeceptor illustrissimus suspicatus est „nimirum Fabi“

est" etc. Quibus locis tertius potest adiungi quem primus investigavit Lachmann „de fontibus Livii", I. p. 28. Apud Livium I, 55, 7—9 legimus haec: „Eo magis Fabio praeterquam, quod antiquior est, crediderim quadraginta ea sola talenta fuisse quam Pisoni, qui quadraginta milia pondo argenti seposita in eam rem scribit etc." Piso igitur, qui Latine condidit annales milia pondo argenti computavit, Fabius vero talenta, nimirum quod Graeca usus est lingua.

Quibus Ciceronis et Dionysii testimoniis repugnare videtur quod Nonius p. 518, Quintilianus I 6, 12, Servius ad Aen. VIIII, 630 XII, 603 pauca servant frustula quae e Latine scripto Fabii cuiusdam opere excerpta esse nemo infitias ibit. Cum igitur apud Nonium p. 518 legamus: „Fabius Pictor Rerum Romanarum lib. I. „et simul videbant picum Martium"; Latinos quoque annales a Fabio quodam Pictore esse compositos omnes fere nunc consentiunt viri docti (cf. Peter H. R. R. p. LXXVIIII, Teuffel, H. Litt. Rom.[5] I. p. 191.)

Multi sunt viri docti qui Fabium Pictorem annales quos antea Graece composuerit, postea ipsum in Latinum putent vertisse sermonem. Quid? Num credibile est, illa aetate, qua litterae Romanae vix erant natae, eundem virum de eisdem rebus et Graece et Latine scripsisse? Cuius rei analogum vix apud Graecos Romanosve indagari poterit auctores[39]). Accedunt vero aliae et graviores causae cur improbanda sit illa sententia. Si antiquissimi et celeberrimi Fabii annales in Latinam linguam essent translati, Livium Latinum, non Graecum[40]) usurpaturum fuisse credo exemplar. Graecum vero praetulerat Fabius sermonem quod lingua Latina ad historias componendas non iam apta videbatur. Quae

---

addidamentum esse interpolatoris. Ciceronem autem simpliciter scripsisse „in Pictoris". Nam aliis locis, ubicunque Fabii historici mentionem facit Cicero, de orat. II, 12, 51; de leg. I, 2, 6 adhibere eum aut solum cognomen omisso gentili nomine (de or. II, 12, 51) aut solum gentile nullo addito cognomine (d. leg. l. l. cf. de div. I, 26, 55 Fabii.) nusquam ambo nomina copulata.

[39]) Vix obici potest Apuleii libellus „de mundo", cum illum et Graece et Latine composuisse libellum nondum satis constet. cf. Teuffel[4] p. 859. Respice praeterea temporum diversitatem.

[40]) Nissen in Krit. Unters. p. 41 aliique contendunt Livium Latine scriptis Fabii Pictoris annalibus usum fuisse. Quam demonstrari posse sententiam ego quidem nego.

cum ita sint, non credibile est, eundem Latinum sermonem quem antea spreverat paucis tantum annis post ita mutatum et excultum fuisse ut in eam linguam annales vertere non dubitaret. (cf. Peter, H. R. R. p. LXXVI). Addendae sunt aliae adhuc fere neglectae causae[41]). Nam in numero fragmentorum, quae Peter. l. l. Latinis Pictoris assignat annalibus, nonnulla sunt quae repugnant eis quae Fabium in Graecis annalibus enarrasse scimus. Discimus Fabium a Servio ad Verg. Aen. VIII, 630 (fr. 4.) laudatum tradidisse Romulum et Remum in Martis spelunca lacte lupae esse nutritos, cum Dionysius I, 79 qui Pictoris Graecis annalibus primario usus esse videtur fonte, (loquitur enim de fontibus a se adhibitis I, 79 „*περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόιντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πίσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν*“ de Panis dicat saltu[42]).

Praeterea rectissime iam observavit Niebuhr in H. R. II, 630/31 chronologicam adnotationem, quam edit Gellius N. A. V, 4, 3 (Fabii Lat. Annal. fr. 6 P) minime quadrare ad rationem chronologicam quam secutus est Fabius in Graecis annalibus (cf. Mommsen R. F. II 378 adn. 127.) His quoque discrepantiis haudquaquam eorum commendatur sententia qui Fabium Pictorem ipsum[43]) annales in Latinam linguam transtulisse censeant. Nihilosecius eandem nuper defendit sententiam Holzapfel in Chr. Rom. p. 351—352. Nimis tamen enim premit Ciceronis verba de divin. I, 21, 43 „quod nimirum in Fabii Graecis annalibus.“ Unde concludit vir doctissimus Latinos quoque annales ab eodem Fabio conscriptos notos fuisse Ciceroni; sin aliter, Ciceronem scripsisse „apud Fabium qui Graecos annales scripsit.“ Quam argu-

[41]) Sunt qui opinentur Fabium in Graecorum usum scripsisse. e. g. Niebuhr H. R. II, p. 9. Quos recte ut puto Peter refutavit H. R. R. p. LXXV.

[42]) Sero vidi Soltavium nuper in J. J. 1886 p. 479/480 his de discrepantiis fuse egisse. Nonnulla recte vidit vir doctus, in aliis falsus est. E. g. vix quisquam comprobabit ea quae de pico Martio (Fab. Lat. Ann. fr. 3) et de Amata (fr. 1) disputat.

[43]) Eos qui hanc amplexi sunt sententiam laudat Peter H. R. R. p. LXXVI.

mentationem rectissime iam redarguit Soltau l. l. p. 479. Nam si in Graecis annalibus eaedem res enarrabantur atque in Latinis, non videmus, cur Cicero addiderit „in Graecis“ annalibus.

Quibus causis adducti multi viri docti ad aliam refugerunt sententiam ut certius definirent rationem quae intercederet inter Graecos et Latinos libros; ac plerique adstipulantur nunc Petero, qui duos Fabios Pictores annalium scriptores inter se distinguendos esse putat, Pictorem, qui Graece condidit historias, et alterum Fabium Pictorem, qui Catonis fere aetate gentilis sui opus aut verterit aut retractaverit et quasi in usum suae aetatis denuo ediderit[44]). Quae opinio testimoniis veterum auctorum minime confirmatur[45]).

Si antiquis temporibus noti erant duo inter se diversi Fabii Pictores historici, quorum alter Graece, alter Latine scripsit, nonne mirum est ne unum quidem auctorem claris verbis inter se discrevisse Graeci et Latini operis auctores, quamquam metuendum erat, ne confunderentur duo Pictores?

De Fabio Pictore Latinorum annalium scriptore argutiora enucleare sibi visi sunt viri docti. Sunt enim, e. g. Peter H. R. R. p. CLXXVIIII, qui Nonii s. u. picumnus p. 518, levissimi auctoris nixi testimonio, suspicentur Fabium Pictorem, qui iuris pontificii composuerit libros (cf. Pet. H. R. R. p. 111—113) Latinos quoque condidisse annales. Alii Servio cuidam Fabio Pictori,[46]) quem laudat Cic. Brut 21, 81. et libros pontificii iuris et Latinas historias vindicant, cf.

---

[44]) cf. Pet. H. R. R. p. LXXVIIII. Mommsen R. F. II. p. 378 adn. 127. Soltau, Chr. R. p. 378. E. Meyer, Mus. Rh. XXXVII p. 623, 627. Antea iam Baumgart „de Q. Fabio Pictore etc.“ p. 15 sqq. aliique in eandem inciderant sententiam.

[45]) Simili modo Acilii annales a Claudio (cf. Liv. XXV, 39, 11) et Postumii Graecos libros a nescioquo, si fides attribui potest Macrobio III, 20, 5, in Latinum translatos esse sermonem accipimus.

[46]) Apud Ciceronem l. l. legimus haec: „et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius et una Ser. Fabius Pictor etc.“ Offensus est iam Mommsen in praenomine Servio, quod ceteroquin ignotum est genti Fabiae (R. F. I. p. 16). Haud dubie delendum est in Ciceronis textu; irrepsit enim e nomine quod antecedit Ser. Fulvio.

Pet. H. R. R. p. LXXVIIII. Haec vero omnia incerta sunt et firmo carent fundamento.

Examinemus iam testimonia quae Peter H. R. R. p. LXXVI sqq. aliique ad Fabium Pictorem Latinorum annalium scriptorem referunt. Quis est qui non miretur Latinos annales a nullo historico usurpatos, ac ne notos quidem ulli fuisse videri. (Pauca fragmenta, quae traduntur, e grammaticis libris sunt petita.) De Livio supra iam disputavimus. Ciceroni Graecos annales notos fuisse e loco modo laudato de div. I, 21, 43 evincitur. Quae cum ita sint, suspicor Ciceronem ceteris quoque locis ubi Pictoris tantum laudat annales, antiquissimum illum dicere historicum neque alium ignobilem et fere obscurum Fabium Pictorem. Sed videamus testimonia ipsa. Apud Ciceronem de orat. II, 12, 51 legimus haec. „Atqui, ne nostros contemnas, ... Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato ut Pictor ut Piso. Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio. . . . . . Hanc similitudinem scribendi (sc. annal. max.) multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio etc.“ Unde colligit Peter. p. LXXVII aliique Pictorem a Cicerone laudatum Latinos condidisse annales, cum Cicero Graecis logographis Latinos opposuerit annalium scriptores, simulque nos doceri Pictorem, quem Cicero commemorat, aetate posteriorem fuisse Catone. Hoc vero ex loco ne quidquam conficias, quod ad linguam pertinet. Quod iudicium Cicero fert non de lingua, sed de ratione historiam scribendi quae nihil erat nisi annalium confectio. Comparat igitur inter se vetustissimos Graecos logographos et Romanorum annalium scriptores antiquissimos, qui forma et stilo orationis inter se erant similes. Conferuntur inter se Graeci et Romani, qui sine ornamentis orationis monumenta solum temporum, hominum, locorum reliquerunt, brevitatem unam esse laudem credentes. Pictor, etiamsi Graece condiderit annales, nihilominus Romanorum erat auctor, quem optimo iure cum Graecis historicis com-

ponit Cicero. Haeret vero Peter etiam in ordine nominum: Catonis, Pictoris, Pisonis. Quod ordo chronologicus non satis diligenter observatus est, eo minus offendor, cum etiam Graeci auctores non secundum temporum rationem enumerentur. ur (cf. Müller, F. H. Gr. I p. XXIII sqq.). Quae cum ita sint, vix dubitandum est, quin Cicero de nobilissimo Fabio Pictore, non de obscuro Latinorum librorum auctore dicat.

Similiter res se habet alio loco, quem pro adhibito Latino sermone in censum vocant Peter, alii. Legimus enim apud Ciceronem de leg. I, 2, 6: „Nam post annales pontificum maximorum, quibus nil potest esse iniucundius, si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile est quam isti omnes?“ Hoc quoque iudicium ad Latinos cuiusdam Fabii annales referre Peter non dubitat l. l. quamquam Cicero Pictorem ponit ante Catonem. Neutiquam vero impedimur ne de Fabii Pictoris Graecis cogitemus annalibus. Cicero vel potius Atticus, quem loquentem facit ille, omnia annalium scriptorum opera esse ieiuna dicit et exilia et indigna nomine „historiarum“. Itaque ne minima quidem offensionis est causa, quod Pictorem, antiquissimum historicum, etiamsi Graeco usus sit sermone, praetermittere noluit. Accedit quod hoc quidem loco Cicero temporum rationem accurate secutus esse videtur. Praeter Fabium nominat praeclarissimos et nobilissimos annalium scriptores. Quorum societati num verisimile est eum adgregasse Fabium quendam plane obscurum et ignotum? Itaque ex hoc incertissimo indicio de lingua nil confecerim[47]. Restat igitur tertius locus quo non sine specie quadam verisimilitatis nituntur qui Fabium nescio quem aequalem fere Catonis Latinos conscripsisse annales sibi persuadent. Apud Frontonem p. 114 N. legimus haec: „Historiam quoque scribsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide, Antias invenuste, Sisenna longinque etc.“ Putant igitur viri docti, e. g. Peter

[47]) Si quis ex eo quod Pictor apud Ciceronem primum obtinet locum, concludere audet Latinos annales antiquissimis temporibus satis fuisse notos, valde admiror, quod de eius vita et scriptis nil habemus compertum.

l. l. p. CLXXVIII Pictoris Latinos intellegere annales Frontonem, cum de Latine scribentibus dicat auctoribus. Ut tamen quae sentiam de Frontonis verbis aperiam, breviter examinemus totius epistulae sententiarum conexum. Nullo modo Frontonis est consilium omnes Romanorum historicos percensere et unumquemque certis describere signis; studet comprobare neminem posse niti contra naturam. Quod ut demonstret, affert exempla et Romanorum et Graecorum artificum, poetarum, historicorum, philosophorum, oratorum, et quae in eis sunt singularia, paucis illustrat verbis. Frontonis verba modo laudata ad stilum, non ad linguam pertinent. Quae si respicimus, ego quidem non offendor, quod Fabium, antiquissimum auctorem in historicis ponit Romanis. Quid? Nonne etiam Graecos Pictoris annales incondite[48]) scriptos fuisse iudicare potuit Fronto? Quae cum ita sint, non temere suspicari mihi videor, ne ex hoc quidem loco, nisi aliunde graviora accedunt argumenta, recte evinci posse, Fabium quendam Pictorem Latinos composuisse annales.

Relinquitur igitur, ut accurate inquiramus in fragmenta quae Peter l. l. p. 109—110 Fabii Pictoris Latinis annalibus adiudicat.

I. (fr. 1 P.) Servius ad Verg. Aen. XII 603. (*Fabius Pictor*) *dicit quod Amata inedia se interemit. Sane sciendum, quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abiceretur.*

Sic legimus fragmentum apud Peterum. Cum vero nunc sciamus (cf. Serv. ed. Thilo-Hagen II² p. 626) verba „Fabius Pictor dicit“ exhibere solum codicem Floriacensem, ceteros omnes „alii dicunt“, hoc de fragmento plane aliter iudicandum est. Non dubito quin optimo iure Thilo scripturam plurimorum et optimorum librorum praetulerit. Removendum igitur erit hoc fragmentum e Fabii Pictoris Latinorum annalium reliquiis. Sed fac „Fabius Pictor dicit“ genuinam esse scripturam neque librarii addidamentum. Ne sic quidem extat necessaria causa cur hoc frustulum Latinis vindicemus anna-

---

[48]) cf. ea quae Albinus apud Gellium N. A. XI, 8, 2, de Graecis suis annalibus scribit: „neminem suscensere sibi convenire si quid .... parum composite aut minus eleganter tum scriptum foret etc.“

libus. Verba enim „sane sciendum .... abiceretur“ neutiquam Fabii sunt verba (id quod Peter credere videtur) sed Servii. Si igitur Servii libris „Fabius Pictor dicit“ re vera confirmaretur, illud frustulum „Fabius Pictor dicit, quod Amata inedia se interemerit“ Graecis annalibus attribuerem (cf. du Rieu, de gente Fabia p. 175). Duplici igitur causa hoc fragmentum e medio tollendum est.

II. (fr. 2 P.). Quintil. I, 6, 12. *Lupus masculinum, quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat, „lupum feminam“ dicit Ennium Pictoremque Fabium secutus.*

Varro igitur item atque Ennius et Fabius „lupus femina“ dixit. Sic enim Quintiliani verba intelligenda esse, discimus ex Ennii versiculo a Servio (ad Aen. II, 355 cf. fr. 49 V.) „lupus femina feta repente“ servato. Apud Quintilianum de Latine scripto Fabii cuiusdam opere cogitandum esse luce clarius est. Alia est quaestio num de Fabii Latinis annalibus cogitandum sit. Cur non deprompta esse possunt haec verba „lupus femina“ e Fabii Pictoris Latine scriptis iuris pontificii libris? Suspicor Ennium et Fabium iam a Varrone esse laudatos, quem Fabii Pictoris iuris pontificii libros in usum suum vertisse testatur Nonius p. 223 (cf. Jur. pont. fr. 9 P.) Accedit quod lupam Marti sacram sanctissime colebant Romani ita ut in libris iuris pontificii saepius illius mentionem factam fuisse non dubitem.

III. (fr. 4 P). Servius ad Verg. Aen. VIII, 630. Mavortis in antro: *potest accipi et fecerat lupam Mavortis et Mavortis in antro. Fabius spelunca Martis dixit.*

Extrema verba inde a „Fabius“ ab interpolatore Servii sunt servata. Hoc quoque frustulum libris pontificiis attribuere non dubito, praesertim cum interpolator Servii aut, quod verisimilius est, auctor ab eo adhibitus illos libros usurpaverit cf. Interp. Serv. ad Georg. I 21, fr. 3.

IV. (fr. 5 P). Cic. de div. I 26, 54. *Omnes hoc historii, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino etc.*

Sequitur somnii narratio. Paulo ante I 21, 45 ubi Aeneae narraverat somnium claris verbis laudaverat Cicero Fabii Pictoris Graecos annales. Itaque manifestum fere est hoc quoque de quo agimus loco eundem Fabium esse intelligendum. Nam ni ita esset, Cicero duos auctores, qui idem

gerebant nomen, inter se discernere debebat. Mirum quantum errant Peter alii, qui nimis urgent numerum pluralem, et concludunt hoc loco duos intelligendos esse Fabios aeque atque duos Gellios. Fugit viros doctos pro numero singulari pluralem esse adhibitum secundum usum linguae Latinae, singularem vero qui sequitur „Fabii, Gellii, sed proxime Coelius" flagitari interpositis verbis „sed proxime". Simillimum invenit exemplum Holzapfel Chr. R. p. 352 apud Dionys. I 7. *„συνέγραψαν Πόρκιός τε Κάτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Ὀυαλλέριος ὁ Ἀντιεὺς καὶ Λικίννιος Μάκερ Αἴλιοί τε Γέλλιοι καὶ Καλπούρνιοι καὶ ἕτεροι συχνοὶ κτα."* Duos Gellios quoque notos fuisse antiquis temporibus annalium scriptores suspicatur Peter ex Nonii p. 194 (H. R. R. p. 175) infirmissimo testimonio. „A. Gellius, historiarum lib. I. etc." Qui locus iam diu est sanatus coniectura „Asellio" et Peter in minore editione p. 97 A. Gellium ipse e medio sustulit.

V. (fr. 6 P.) Gell. N. A. V, 4, 3. *Ibi expositi erant Fabii annales, bonae atque sincerae vetustatis libri, quos venditor sine mendis esse contendebat. — Ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto. Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duovicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt.*

Quamquam e Fabii cuiusdam Latinis annalibus hunc locum esse depromptum apparet, tamen nulla est causa cur ad Fabii Pictoris Latinos refugiamus annales. Scimus enim (cf. Peter, p. 114—115) Fabium Maximum quoque Latinos condidisse annales. (cf. Serv. ad Verg. Aen. I, 3 etc.) Quae cum ita sint, secutus du Rieu p. 397 aliosque hoc fragmentum Serviliano adiudico cuius annales in libros fuisse dispositos testatur Servius ad Verg. Aen. I, 3. Sunt quoque viri docti (cf. Peter. F. H. R. p. CLXXVIIII) qui apud Gellium non Fabium quendam Pictorem intelligendum esse ex eo concludant, quod grammaticus ille ubicunque Pictoris aliquod laudat opus semper addit cognomen, cum hoc loco Fabii tantum nominet annales. Huic quoque argumento vis quaedam denegari nequit.

Vidimus adhuc neque testimoniis neque fragmentis comprobari Latinos annales a Fabio quodam Pictore scriptos fuisse. Restat unus locus.

VI. (fr. 3 P.) Non. s. v. picumnus. p. 518. „*Fabius Pictor Rerum Romanarum lib. 1: et simul videbant picum Martium. — Idem iuris pontificii lib. III: Pilumno et Picumno*“ Rerum Romanarum M., rerum H, rerum gestarum rell, pontifex lib. III. (IIII Bamb.) cdd.

Haud facile quisquam ut puto hoc uno Nonii levissimi auctoris testimonio nixus persuadebit sibi eundem Fabium Pictorem quem de iure pontificio scripsisse scimus Latinos quoque condidisse annales[49]), praesertim cum non desint causae satis idoneae et graves quibus Nonii loci fides et auctoritas deminuantur. Ac primum quidem mirandum est quod Nonius solus nos docet eundem Fabium Pictorem Latinas historias et libros iuris pontificii composuisse. Quae cum ita sint, non temere suspicamur apud Nonium haerere mendum aliquod. Quod quomodo in textum irrepserit difficile est diiudicatu praesertim cum Nonius procul dubio Fabium non ipse inspexerit, sed ea quae in fonte invenit in schedas suas transtulerit. Du Rieu de gente Fabia p. 211 illa verba libris iuris pontificii attribuit; hac vero coniectura, quae, cum Nonius de rerum Romanarum scriptore dicat, omni caret specie verisimilitatis, Nonii confusio minime declaratur. C. Wachsmuth praeceptor illustrissimus suspicatur apud Nonium non de Fabio Pictore sed de Fabio Serviliano, quem et historias (cf. Schol. Ver. ad Verg. Georg III, 7. Servilianus „historiarum“ scribtor.) et de iure pontificio scripsisse testari Macrobium I 16, 25. Verisimile enim esse Nonium qua erat levitate et negligentia Serviliani libros iuris pontificii commutasse cum Pictoris, quem identidem laudat cf. p. 233; p. 544 itaque accidisse, ut priore quoque in loco, ubi sermo sit de Fabii historiis Servilianis suo periculo et bona fide addiderit cognomen „Pictor“, quod non fuerit in fonte a Nonio adhibito, ubi totus locus non ad Pictorem sed ad Servilianum spectaverit. Quoquo modo res se habet, cum Nonii auctoritas non aliis et fide dignioribus confirmetur testimoniis, Fabium quendam Pictorem Latinos condidisse annales non credo.

---

[49]) Jam du Rieu „de gente Fabia“ p. 211 cautissime dubitat de fide Nonii.

Ad propositum redeamus. Profecti eramus a sententia eorum qui Fabii Pictoris Latinos annales a Diodoro esse adhibitos contendunt. Etiamsi quis Nonio tantam attribuat auctoritatem, ut a Pictore Latinos annales scriptos fuisse credat — ego quidem eos in Tartarum deicere non dubito — tamen idem vix putet, a Diodoro Fabii Latinos annales, de quibus fere nil habemus comperti, esse excerptos[50]).

De Claudio Quadrigario.

Claudii Quadrigarii annales Diodorum in usum suum convertisse infelicissime suspicatus est Buedinger in Annal. Burs. 1873 I² p. 1192. Num Claudii potissimum copiosi annales Diodoro ad usum idonei et apti visi sint, valde dubito. Buedingeri opinio adeo non fragmentis Claudii comprobatur, ut discrepantiae inter Diodorum et Quadrigarii reliquias investigari possint. Apud Gellium VIIII, 11 quamquam nomen auctoris omissum est a Gellio, tamen certissimis argumentis hoc fragmentum Peter Claudio attribuit, cf. H. R. R. p. 211 consules a. 405 L. Furius et Claudius Appius nominantur. Quocum conspirant Livius VII, 24 et Cicero Cat. m. XII, 41: „Plato Atheniensis, quem Tarentum venisse L. Camillo, Appio Claudio reperio." Eiusdem vero anni consules a Diodoro XVI, 59 M. Aimilius et T. Quinctius nominantur. Cum autem Diodorus in libro XVI fastos ex annalium scriptore excerpserit, iam irrita fit Bue-

[50]) Nuper Diels, vir summus, „*Sibyllinische Blätter*" p. 10 etiam de Pictoris Latinis annalibus egit. Totam quaestionem non retractat sed idem de Latinis annalibus iudicat atque omnes fere alii. Comprobare studet Latinos annales a Livio esse usurpatos XXIII, 11, ubi editur responsum Delphici oraculi. Nam Fabium qui Graece scripsit (cf. Appian. Hannib. XXVII.) post cladem Cannensem Delphos ad oraculum missum esse. Apollinis responsum a Fabio in senatu recitatum (Liv. XXIII, 11) facillime nonnullis omissis vel correctis verbis ita commutari posse, ut Latini evadant versus Saturnii. Jtaque Latine scripto fonte usum esse Livium. Cogitat autem Diels de Latinis Pictoris annalibus.

dingeri opinio, quae etiam per se non habet quo commendetur. Accedunt aliae causae. Paene manifestum est Claudii annales exorsos fuisse a Romae incendio (a. 364). Num credibile est Diodorum in libris XI—XIV alium usurpasse annalium scriptorem atque in libris XV—XX? Demonstrare student Buedinger l. l. et Nitzsch l. l. p. 229 sqq. narrationes, quas tradit Diodorus XII 24—26 de Appio Claudio decemviro, et XX 36 de Claudii Caeci censura, studere Claudiorum familiae. Diodorum decemvirorum historiam narrantem nullo modo favere genti Claudiae quisque ut puto intelliget, qui simplici et integro animo Diodori perlegerit capita. Ex eo quod Verginiae mortem apud Diodorum non Appio Claudio opprobrio datur, (dicit: εἷς δ' ἐξ αὐτῶν ἐρασθεὶς etc.) minime sequitur Diodori fontem indulsisse genti Claudiae. In commentariis historicis a Diodoro more antiquorum annalium fere nunquam adduntur nomina. Cicero quoque d. r. publ. II 37, 62 Claudium non nominat (dicit: propter unius ex illis decemviris intemperiem.) Similiter res se habet cum censura Claudii Caeci. Nitzsch l. l. contendit Diodorum Claudii merita summis laudibus efferre etcelebrare, sed plane contrariam sententiam defendit Mommsen R. F. II p. 285. Agnoscit Diodorus ea, quibus Claudius optime meritus est de urbe e. g. aquis in urbem ductis et via munita; addit vero, nimirum ut detrectet illius laudes, eum omnes publicas pecunias ad sua consumpsisse opera[51]). Ceteroquin acerbis dictis reprehendit eum quod non satis curaverit patrum sententias, sed vulgarem captaverit favorem. Haec sufficiant ad refellendam Buedingeri sententiam. Simul cum Buedingeri opinione cadit Nitzschii suspicio, qui l. l. p. 232 sqq. Cn. Flavium scribam Appii Claudii unicum Diodori fontem fuisse statuit. Postea vero in Hist. Rom. I. p. 196 priorem suam sententiam ipse improbavit.

Ac ne desunt quidem qui Diodorum commentarios historicos ad Romanorum res spectantes non e Romanis sed e

[51]) Mirum est quod in nonnullis Ciceronis codicibus legitur „emilio.“ Sic exhibet cod. E. C. Emilio: B.

Graecis deprompsisse fontibus putent, ut Bornemann „de Castoris chronicis, Diodori Siculi fonte ac norma" p. 20 sqq. Diodorum in libris XI—XX tres usurpasse fontes statuit.

I. Copiosas narrationes decemviratum (XII 24—26), legationem Delphos missam (XIV 93), Gallorum invasionem (XIV 113—117), Appii Claudii censuram (XX 36) Timaeo[52]) attribuit.

II. Eas partes librorum XIX et XX quae ad bella Samnitica pertinent adiudicat Duridi.

III. Fastos nec non breviores commentarios historicos vindicat Castori chronographo.

Fastos libb. XI—XX non ex uno fluxisse fonte iam identidem monuimus. Magistratus libb. XI—XII partim e chronographo (Castore) partim ex annalium scriptore esse excerptos iam supra docuimus. Accedit, quod, ut supra (cf. p. 24) illustravimus, non desunt indicia, quibus Diodorum in libris XI—XX praeter eas particulas quas nos quoque Graecis attribuimus fontibus, non diversos sed unum (annalium quendam scriptorem antiquissimum) auctorem adhibuisse demonstretur. cf. Mommsen R. F. II, 271. Sed examinemus singula.

De Timaeo.

De quattuor illis partibus longioribus, quas Timaeo Diodorum debere sibi fingit Bornemann, dicit l. l. p. 20 haec: „Illos autem quattuor locos ad Timaeum pertinere, omnes, nisi fallor, credent, si unum demonstraverimus Timaei esse." Mira sane argumentatio, praesertim cum quattuor illi loci nullo modo inter se cohaereant. Demonstrare studet vir ille doctus libri XIV caput 93 e Timaeo fluxisse. Veiis captis a Romanis Delphos missi erant legati qui Apollini crateram auream donum portarent; quos, cum in cursu a piratis Liparensibus excepti essent, dux eorum Timasitheus libertate donavit atque ea ex causa postea a Romanis

---

[52]) Obiter iam Schwegler in H. R. III p. 70 decemviratus narrationem e Timaeo vel Hieronymo fluxisse suspicatus erat.

hospitium cum Timasitheo factum est. Cui narratiunculae addit Diodorus haec „*καὶ μετὰ ταῦτ' ἔτεσιν ἑκατὸν τριάκοντα ἑπτὰ τὴν Λιπάραν ἀφελόμενος τῶν Καρχηδονίων τοὺς ἐγγόνους τοῦ Τιμασιθέου τῶν τε εἰσφορῶν ἀτελεῖς ἀφῆκε καὶ ἐλευθέρους ἐποίησεν*“. Quod Lipara insula haud procul Sicilia sita est et Diodorum in libris XI—XVI res ad Siciliam spectantes e Timaeo excerpsisse constat, concludit Bornemann non solum libr. XIV c. 93, sed etiam tres illos ceteros longiores locos (decemviratum, Gallorum invasionem, Appii Claudii censuram) e Timaeo fluxisse. Cui argumentationi ne minimam quidem persuadendi vim inesse quis est qui neget? Sed accedunt dubitationes aliae et graviores. Comparatis inter se Pol. I 39, 13 et Zon. VIII, 14. evincitur Liparam insulam primo Punico bello esse captam a. 502.[58]) Cum vero Polybius I, 5 Timaeum historiarum finem fecisse cum Ol. 129 (264—260 a. Ch. n. = 490—494 a. u. c.) disertis verbis testetur et Tauromenitam non multo post (260 a. Ch. n. = 494 a. u. c. vel 256 = 498) mortuum esse constet iam manifestum est quam infeliciter lapsus sit Bornemann. Nam Timaeus cum Lipara a Romanis expugnata est, iam diu diem supremum obierat. Ille vero vir doctus sat confidenter addit: „Immo hoc loco Diodori id assequimur, ut accuratius de Timaei morte et opere (cf. Pol. I, 5) statuere possimus!“

De Duride Samio.

Tum Bornemann p. 21 quod Diodorum in libris XIX—XX copiosas belli Samnitici narrationes, quas antiquae Romanae memoriae esse reliquias luce clarius est, e Duride excerpsisse sibi fingit, longissime a veritate aberrat. Perperam provocat ad lib. XXI fr. 6, ubi Duride teste in pugna apud Sentinum commissa centum milia hostium a Romanis occisos esse legimus. Quo ex loco nullo modo concludere possumus Dio-

[58]) Quae ratiuncula Holzapfelii Chr. R. p. 189 rectior esse videtur quam Mommseni R. F. II, 288 adn. 94 (503. a. u. c.) cf. Matzat Chr. R. II, p. 80, adn. 2. Intervallum quod edit Diodorus 137 annorum (vulg. 142) declarandum erit e fastis annalium scriptoris quem secutus est Diodorus.

dorum in libris XIX—XX Duridem in usum suum convertisse; id tantum discimus Duridem rerum Romanarum non bene gnarum fuisse, nam apud Livium X, 29, 17 traditur memoriae, in pugna apud Sentinum commissa viginti et quinque tantum milia hostium interfectos, octo milia esse captos.

De Castore.

Omnes ceteros breviores commentarios historicos attribuit Bornemann p. 22 Castori chronographo. Fastos aliqua ex parte e Castore esse excerptos iam vidimus, de commentariis historicis valde dubito; nam brevitatem et siccitatem antiquissimorum annalium fuisse proprias iam identidem docuimus. Sed novi aliquid enucleasse sibi visus est ille vir doctus. Comparatis enim inter se nonnullis Diodori et Livii locis concludit etiam Livium in prima decade si non e Castore ipso attamen ex auctore nescio quo qui vestigia illius chronographi presserit hausisse. Cum Castor tabulas suas chronologicas usque ad annum 693 deduxerit, et Livii primam decadem ante 734 scriptam fuisse constet, difficillimum est dictu, quem auctorem in usum suum converterit Patavinus.[54]) Sed accedunt aliae causae. Castorem cum sex libris omnium populorum tempora complexus fuisset, tam fuse de Postumii triumpho egisse quam Diodorum XII 64 (cf. XII 80) parum consentaneum est.

Longum igitur dissertationis spatium iam emensi, pro certo statuere possumus haec: Cincium, Pisonem, Claudium, Flavium, Timaeum, Duridem a Diodoro non esse usurpatos. Caute vero suspicati sumus annalium scriptorem ab illo adhibitum antiquiorem fuisse Pisone cf. p. 32.

---

[54]) Liviani loci sunt reliquiae antiquae et sincerae memoriae.

De Fabio Pictore.

Restat igitur ut diligenter examinemus et perpendamus sententiam eorum qui Fabii Pictoris Graecos annales in usum suum convertisse Diodorum contendunt.

Breves adnotationes historicas aliasque proprietates Diodori optime quadrare ad antiquissimos Romanorum annalium scriptores quorum in numero Fabius primum obtinet locum supra diximus. Apud Diodorum res gestae singulorum annorum inter consules non dividuntur. cf. Liv. X 37, 14: „Fabius ambo consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit traductumque in Etruriam exercitum (sed ab utro consule non adicit)."

Accedit quod Diodorum, si eligendi potestatem habuit inter Graecos et Latinos annales, Graece scriptum fontem valde est credibile praetulisse. Similiter etiam in sequentibus libris Romanorum res gestas enarrat Graecos secutus fontes, Hieronymum, Polybium, Philinum, Silenum, Posidonium[55]). Tum non male conicit Klimke l. l. p. 29 auctorem a Diodoro adhibitum ipsum stipendia meruisse, id quod optime intelligitur ex eis quae edit de pugna Alliensi (XIV, 114) et de Luceriae opportunitate (XIX, 72); Fabium vero bello Gallico interfuisse testantur Eutrop. III 5, Oros. IV, 13. Accedit quod in eis partibus, quae ad res Romanas spectant, Diodorus saepius eadem vel ex eadem radice conformata vocabula saepius repetit, quam elegantem et diligentem decet auctorem. cf. Klimke l. l. p. 31. e. g. XII 24. — *„ἄγειν εἰς δουλείαν. τοῦ δὲ συκοφάντου φήσαντος ἰδίαν αὑτοῦ εἶναι δούλην καὶ πρὸς τὸν ἄρχοντα καταστήσαντος δουλαγωγεῖν προσαγαγὼν κατηγόρησεν ὡς δούλης. τοῦ δὲ διακούσαντος τὴν κατηγορίαν καὶ τὴν κόρην ἐγχειρίσαντος ἐπιλαβόμενος ἀπήγαγεν ὡς ἰδίαν δούλην."* vel XIV, 116 *„ἐγκρατεῖς δὲ γενόμενοι πολλῶν ὅπλων τοῖς τ' ἀνόπλοις οὖσιν διέδωκαν καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς χώρας ἀθροίζοντες καθώπλιζον."* Quibus in locis scribendi genus auctoris

---

[55]) Non flocci facio quod praedicat Diodorus de se ipso I, 4. *„ἁπάσας τῆς ἡγεμονίας ταύτης* (sc. *τῶν Ῥωμαίων*) *πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παῤ ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων."* Facile potest cogitari, haec pertinere ad Castorem chronologicum a Diodoro adhibitum fontem. cf. Cichorius, de fastis p. 225 adn.

a se adhibiti reddere Diodorum verisimile est. Procul dubio Fabio eiusque aequalibus, qui Graece scripserunt populi sui res gestas, non tam facile quam auctoribus Graecis accedebant ubertas et copia verborum.

Eis quae adhuc disputavimus cum nondum satis comprobetur Diodorum excerpsisse Fabii Pictoris Graecos annales, iam circumspiciamus num alia addere possimus argumenta, quae maiorem praebeant persuadendi necessitatem; atque in eos potissimum locos convertamus animum opus est quibus annalium scriptor a Diodoro adhibitus gentis Fabiae laudi indulgere videtur. In libris XI—XX Diodorus nullum laudat auctorem Romanum, cum in fragmentis libri VII ad Fabii provocet auctoritatem. Nihilo setius cogitari potest Diodorum in eis quoque libris de quibus agimus ex eodem hausisse auctore praesertim cum primarios fontes fere numquam nomine laudare soleat, cf. Mommsen R. F II p. 273/274. Fortasse vero continget, ut tales investigemus res quibus Fabium Pictorem Diodori fontem fuisse clare demonstretur.

I. Constat Romanos Veiis captis legatos Delphos misisse, qui Apollini crateram auream dono ferrent. Qua de legatione Diodorus (XIV 93) copiosius et fusius prodit quam de ipsis Veiis captis. E. g. Diodorus item atque App. d. reb. Ital. fr. VIII, crateram a Romanis Delphos missam in Massaliensium thesauro esse depositam narrat, cum auctor, quem Livius V 28 secutus est, de loco, ubi donum legati collocaverint, nil addidisse videatur. Auctor igitur a Diodoro usurpatus rerum Delphicarum sat gnarus fuisse putandus est. Scimus vero ipsum Fabium Pictorem qui Graece scripsit historias post cladem Cannensem ad oraculum Delphos esse missum ut sciscitaretur, quibus precibus suppliciisque deos placare possent Romani. (cf. App. Hannib. 27, Plut. Fab. 18 Liv. XXII 57, 5; XXIII 11, 1—6.)

II. Plane consentientes omnes fere tradunt auctores anno ante pugnam Alliensem Romanos tres M. Fabii Ambusti filios (Liv. V, 35) misisse qui senatus nomine cum Gallis agerent. Quos legatos ius gentium violantes proelio inter Gallos et Clusinos conserto arma cepisse itaque penes Fabiam gentem culpam belli Gallici fuisse. Apud Diodorum (XIV 113) de duobus tantum sermo est legatis, quos e gente Fabia non fuisse, quamquam nomina Diodorus non profert, rectissime,

ut mihi videtur, enucleavit Mommsen R. F. II p. 304—305 et adn. 15.

III. Accedit, quod fortia et memorabilia facinora, quae bello Samnitico gessit Q. Fabius Rullianus, diligenter et accurate describit auctor a Diodoro adhibitus. Sed videamus singula.

a. Pugnam apud Lautulas commissam (439), quo anno Q. Fabium Rullianum[56]) primum dictatorem dixerant Romani, copiosius enarrat Diodorus XIX 72 quam e. g. Livius IX 23.

b. Diodoro teste XIX 101, anno 441 Rullianus iterum adeptus est dictaturam, quae postea e fastis extrusa esse videtur, cum Livius IX 28 C. Poetelium dictatorem nominatum esse prodat.[57])

c. De expeditione a Rulliano a. 444 in Etruriam suscepta eiusque victoriis quas ab Etruscis reportaverat diligenter agit Diodorus XX 36, cum ea, quae eodem anno Fabii collega G. Marcius in Samnio gesserat, paucis absolvat verbis. De Fabio addit, ut augeat eius gloriam „*πρῶτος Ῥωμαίων μετὰ δυνάμεως ἐμβεβληκὼς εἰς τούτους τοὺς τόπους.*“

IV. Non parvi momenti ea quoque sunt, quae legimus XIX, 72 de opportunitate Luceriae. „*διὰ γὰρ ταύτην την πόλιν οὐ μόνον ἐν τούτῳ τῷ πολέμῳ ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς μετὰ ταῦτα γενομένους ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διετέλεσαν ὁρμητηρίῳ χρώμενοι κατὰ τῶν πλησίον ἐθνῶν.*“ Quod non Diodori, sed auctoris ab eo usurpati esse iudicium, hac potissimum causa dubitari nequit, quod Diodori aetate Romani Italiae gentibus Luceriae finitumis numquam bellum intulerunt. Accedit quod iam Strabonis VI. p. 284 temporibus Luceria imminuta esse videtur. Cum vero bello Punico secundo vel maxime Romanos innisos esse Lucerinis

---

[56]) Anno 430 Fabius Rullianus magister equitum fuerat et absente dictatore Papirio hostes profligaverat. Quam victoriam copiose enarraverat Fabius in annalibus suis. cf. fr. 18.

[57]) Livius, qui res a Rulliano a. 439 et 444 gestas aliter narrat atque Diodorus — recentiores ut puto secutus auctores — in fine utriusque loci (IX, 23; 37) eam, quam profert Diodorus, discrepantem adnectit memoriam.

constet, totus consentio cum Kaerstio l. l. p. 764 rato Fabium Pictorem belli Punici aequalem, cognatum Cunctatoris, auctorem fuisse eius iudicii quod legimus apud Diodorum de opportunitate Luceriae.

V. De chronologia Fabii annalium tam pauca habemus comperta, ut maxima cautio adhibenda sit inquirentibus num Diodori cum Fabii conveniat temporum ratione, praesertim cum ille in libb. XI—XII fastos saepissime non ex annalium scriptore, sed e chronographico excerpserit fonte. Supra iam vidimus (cf. p. 14) Diodorum, quamquam ineunte libro XIII — unde totus annalium scriptoris sequitur fastos — octo praecurrit annis fastos Capitolinos, tamen quinque tantum omisisse consulum collegia, ea nimirum causa, quod annalium scriptor, quo usus est, tribus annis praecessit fastos translaticios. Fabius vero, cum annum urbis conditae comprobaverit Ol. 8, 1 (748/747) et haud dubie item atque Cicero d. r. p. II 30, qui Polybium sequitur, ducentos et quadraginta computaverit annos[58]), quibus regnaverant reges Romanorum, primum consulatum Ol. 68, 2 (507/6) statuere debuit. (cf. Seeck, tab. Pont. p. 111, Pol. III 22) Ergo ea, quae enucleavimus de fastis annalium scriptoris a Diodoro adhibiti, quadrare videntur ad Fabii rationem chronologicam. Adde quod Diodorum annum Romae excidii Ol. 98,2 (387) apud annalium scriptorem invenisse verisimillimum est (cf. p. 14). Eundem annum edidisse Fabium plane mihi persuasit Seeck, l. l. p. 112.

Quae cum ita sint, mea quidem sententia, dubitari non potest, quin Diodorus in libris XI—XX Fabii Pictoris Graecos annales primarium secutus sit fontem.

Relinquitur vero, ut perpaucis ea examinemus argumenta quibus alii viri docti Mommseni impugnantes sententiam Diodorum Fabii annales non in usum suum convertisse comprobare student. Nitzschium, ut Fabio Diodorum non usum esse ostenderet, frustra operam dedisse (l. l. p. 226 sqq.) luculenter iam demonstravit Mommsen R. F. II p. 283 sqq. Alia, quae ad Mommseni refellendam sententiam

---

[58]) Sic Diodorus quoque apud Euseb. ed. Sch. I p. 291.

protulere Klimke l. l. p. 24 sqq. Cohn l. l. p. 15, tam inania sunt ut refutare ea non opus sit.[59]) De duobus tantum locis pauca addamus.

Teste Diodoro XI 53 Fabia gens anno 277 non in privatam curam susceperat bellum Veiens, sed simul cum exercitu Romano in pugna ad Cremeram commissa periit. Fusam et poeticis ut ita dicam coloribus exornatam narrationem, quam apud Livium II 48 sqq. de Fabii legimus interitu (e Livio sua mutuatus est Ovidius Fast. II, 195 sqq. cf. Schenkl Z. f. d. Östr. Gymn. 1860 p. 402) non e Fabii Pictoris annalibus, id quod statuit Nitzsch l. l. p. 77, sed e recentioribus scriptoribus derivatam esse consentaneum est. Difficile est diiudicatu, utrum quaecunque apud Diodorum legimus de Fabiorum interitu, e Fabii annalibus excerpta sint necne; dicit enim Diodorus: „*ὡς φασί τινες τῶν συγγραφέων καὶ τοὺς Φαβίους τοὺς τριακοσίους*“ *κτα*, de quo loco diligenter egit Mommsen R. F. II p. 245 sqq. Id unum constare videtur, Livianam narrationem haudquaquam eam prae se ferre speciem, ut e Fabii antiquissimis annalibus eam manasse putemus.

Ea quae apud Polybium II 18 sqq. extant de Gallorum invasione, Romae expugnatione, bellis a Romanis cum Gallis gestis, e Fabii annalibus esse excerpta, idcirco verisimillimum est, quod armatorum catalogum, quem edit Pol. II 24 e Fabii manasse annalibus constat (cf. Fab. fr. 23. Niese Herm. XIII p. 411. Nitzsch, l. l. 274 sqq.). Cum vero apud Polybium (II 18, 22) Gallos, postquam septem menses in potestate tenuerunt Romam, pace facta Romanis urbem reddidisse et *ἀθραύστους καὶ ἀσινεῖς* in patriam revertisse legamus, concludunt viri docti, Diodorum, qui XIV 117 de Camilli victoria et auro tradit recuperato, non Fabii prodere memo-

---

[59]) De Bulliani dictatura (XIX 101): „*τὸ δὲ λοιπὸν στρατόπεδον ἀναλαβὼν Κόιντος Φάβιος ὃς ἦν αὐτοκράτωρ ᾑρημένος*“ (Livio teste IX 28 C. Poetelius dictator, M. Foslius magister equitum fuerat) haec dicit eg. Klimke l. l. p. 24. „*Ist nun hier im Texte Diodor's ein Name ausgefallen, so ist es der des Poetelius, der Name des Dictators, und aus dem magister equitum Foslius ist ein Fabius geworden, der nun zum Dictator avancirte, was, wenn eine Zeile ausfiel, ohne alle sonstige Textveränderung möglich war!*“

riam, quam habemus apud Polybium, sed recentiorem et minus fide dignam.[60]) Mommsen sentit R. F. II p. 339 Polybium apud Fabium eandem reperisse memoriam, quam exhibet Diodorus, Camilli vero victoriam, quam commenticiam esse et postea fictam perspexerit, consulto praetermisisse. Sed alio, ut spero, modo difficultas tolli et consensus Polybii et Diodori effici potest. Diodori libri XIV cap. ut 117 e diversis confluxisse fontibus, iam supra (pag. 27) demonstravimus, et mediam potissimum partem, ubi de Camilli victoria a Gallis reportata singularem habemus memoriam, ei denegavimus fonti (annalium scriptori) e quo Gallorum invasionis narrationem mutuatus est Diodorus. Ea vero, quae Diodorus in capitibus 113—116 tradit cum Polybii memoria (I, 6, II, 18, 22) qui sua sumpsit e Fabio nullo modo pugnant.

Quaestionem satis lubricam nunc instituamus de fragmentis librorum VII—X, quibus cum ea quae ante urbem conditam inde a Troiae excidio et Aeneae adventu facta sunt (lib. VII), tum res a regibus Romanis gestae (lib. VIII—X) copiose a Diodoro sunt narrata, id quod etiam nunc e reliquiis cognoscimus. Iam annalium scriptores antiquissimos haec tempora accurate et plene pertractasse comprobatur multis eorum fragmentis quae ad res a regibus Romanis gestas sunt referenda. Fabii habemus fragmenta 1—14 P. Catonis originum liber primus continebat res gestas regum populi Romani (cf. Nep. Cat. 3); Cassius Hemina ea, quae ante urbem conditam facta sunt, toto primo libro fuse enarrasse videtur (cf. fr. 1—10, Ed. Meyer l. l. p. 614). Igitur apud illum quoque, quem Diodorus adhibuit in libris XI—XX auctorem res ante expulsos reges fuisse enarratas, haud videtur dubium. Progrediamur iam ad Diodori fragmenta.

---

[60]) cf. Niese l. l. p. 412. Thouret, J. J. Suppl. XI, p. 108/109.

De fragmentis libri VII.

1. lib. VII. fr. 3 Dindorf. In fine huius fragmenti Diodorus Aeneae somnii Fabium auctorem laudat: „ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας“. Quem re vera Aeneae somnium in annalibus Graecis commemorasse aperte dicit Cic. de div. I 21, 43; „sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod nimirum in Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est ut omnia quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt, ea fuerint quae ei secundum quietem visa sunt“. Cum vero Diodorus initio fragmenti contendat Romam esse conditam anno altero olympiadis septimae (751) annis post Troiam captam CCCCXXXIII (1184 a. Ch. n.), contra Fabius ol. 8, 1 Dionysio teste I, 74 primum urbis annum constituit. Necessario igitur sequitur, ut Diodorus annum urbis conditae non e Fabii sumpserit annalibus. Eundem atque Diodorus produnt annum apud Dionysium I, 74 Polybius quem sequitur Cicero d. r. publ. II, 10, 17, praeterea, ut testatur Solinus I 27, Eratosthenes, Apollodorus, Lutatius, Nepos. Annum urbis conditae Ol. 7, 2 depromptum esse ex eodem recentiore fonte, e quo regum Albanorum Diodorus hausit historiam, olim suspicatus est Mommsen (Chr. R. 152 adn. 288), qui postea de Polybio cogitavit (R. F. II p. 267). Primam saltem opinionem viri summi nullo modi ferri posse infra demonstrabimus.

Praeterea eodem in fragmento refutat Diodorus quorundam historicorum opinionem qui Romam condidisse nepotes ex Aeneae filia docuerunt et eadem obviam fit fabula apud Dionysium I 73, Eusebium I, p. 279 S. Cuius famae Ennium et Naevium auctores fuisse discimus e Servio ad Aen. I 273. Mommsen in Chr. R. p. 152 adn. 288 et in R. F. II 268 adn. 62 putat Fabium quoque in eorum scriptorum esse numero, qui a Diodoro reprehenduntur, quamquam e Plut. Rom. 3, 8. et Dionysio I 79, quorum uterque disertis verbis ad Fabii potissimum provocant auctoritatem, etiam antiquissimum Romanorum historicum scimus vulgarem esse secutum famam qua Romulus nepos credebatur fuisse e Numitoris filia. Si Mommseno adstipulamur, credamus necesse est in Fabii annalibus Romulum duplicem habuisse avum.

Quam miram Mommseni sententiam optimo iure iam impugnabant Holzapfel Chr. R. 260 adn. 1 et 276, Cohn l. l. p. 11. Quae cum ita sint Diodorus nil nisi finem fragmenti Fabio debet, reliquas partes ex alio fonte quem certius definire nunc non licet excerpsit.

2. lib. VII fr. 2 Dind. Hoc Diodori fragmentum mirum quantum ad verbum fere congruit cum Varronis quodam fragmento servato in scholiis Veronensibus ad Verg. Aen. II 717 p. 91. K. (cf Peter H. R. R. p. 96. Ritschl op. III p. 449) Legimus enim apud

Diodor.	Schol. Veron.
ὅτι τῆς Τροίας ἁλούσης Αἰνείας μετά τινων καταλαβόμενος μέρος τῆς πόλεως τοὺς ἐπιόντας ἠμύνετο. τῶν δὲ Ἑλλήνων ὑποσπόνδους τούτους ἀφέντων, καὶ συγχωρησάντων ἑκάστῳ λαβεῖν ὅσα δύναιτο τῶν ἰδίων οἱ μὲν ἄλλοι πάντες ἄργυρον ἢ χρυσὸν ἤ τινα τῆς ἄλλης πολυτελείας ἔλαβον, Αἰνείας δὲ τὸν πατέρα γεγηρακότα τελέως ἀράμενος ἐπὶ τοὺς ὤμους ἐξήνεγκεν. ἐφ' ᾧ θαυμασθεὶς ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ἔλαβεν ἐξουσίαν πάλιν ὃ βούλοιτο τῶν οἴκοθεν ἐκλέξασθαι. ἀνελομένου δὲ αὐτοῦ τὰ πατρῷα τὰ ἱερὰ, πολὺ μᾶλλον ἐπαινεθῆναι συνέβη τὴν ἀρετὴν, καίπερ ὑπὸ πολεμίων ἐπισημασίας τυγχάνουσαν . . . . . . διόπερ φασὶν αὐτῷ συγχωρηθῆναι μετὰ τῶν ὑπολειφθέντων Τρώων ἐκχωρῆσαι τῆς Τρῳάδος μετὰ πάσης ἀσφαλείας καὶ ὅποι βούλεται.	Varro secundo historiarum (?) refert Aenean capta Troia arcem cum plurimis occupasse magnaque hostium [gratia obtinuisse a]beundi potestatem itaque [concessum ei quod] vellet auferre. cumque circa [aurum] opesque alias ceteri morarentur Aenean patrem suum collo [tulisse mirantibusque] Achivis hanc pietatem redeundi Ilium copiam datam ac deos penates ligneis sigillis vel lapideis terrenis quoque Aenean [umeris extulisse] quam rem Graecos stupentes omnia sua auferendi potestatem dedisse, eaque [ratione saepius redeuntem omnia e Troia abstulisse et in naves posuisse].[61])

Miror quod nemo adhuc quod sciam hunc Diodori et Varronis consensum perspexit. Quorum utrumque ex uno fonte (annalium quodam scriptore) narrationem deprompsisse nemo infitias ibit. Quis ille et a Diodoro et a Varrone adhibitus auctor fuerit, nunc pro certo statuere nequimus.

3. lib. VII fr. 3ª, 3ᵇ, 4 D. Relinquitur ut diligentius inquiramus in longum Diodori fragmentum quod in sermonem Latinum translatum extat in Euseb. vol. I. p. 285 sqq. S.

---

[61]) In lacunis supplendis Keilii premo vestigia.

Quo fragmento Albanorum reges enumerantur inde ab Ascanio usque ad Amulium simulque et anni quibus unus quisque regnum, obtinuit et pauca adduntur frustula quae ad res gestas pertinent. Quamquam valde inter se dissentiunt viri docti de tempore quo illa regum Albanorum tabula primum in lucem sit edita, et de auctore qui excogitaverit illum catalogum tamen id saltem pro certo demonstrari potest Diodori regum Albanorum indicem nec e Fabio nec alio ex annalium scriptore esse derivatum sed e recentiore chronographico fonte. Primus Niebuhr H. R. I 226, cui assentiri Mommsen non dubitabat in Chr. R. p. 156, tabulam regum Albanorum affirmavit primo a. Ch. n saeculo inventam omnibus rerum Romanorum scriptoribus vetustis non fuisse cognitam. Mommsen concludit e verbis Servii ad Aen. VIII 330 „nam quod Livius (I 3, 8) dicit ab Albano rege Tiberino Thybrin dictum, non procedet ideo, quia etiam ante Albam Thybris dictus invenitur. sed hic Alexandrum sequitur, qui dicit Tiberinum Capeti filium venantem in hunc fluvium cecidisse et fluvio nomen dedisse“ ab Alexandro, cui cognomen erat Polyhistor, Albanorum regum tabulam esse fictam. Etiamsi non deesse concedamus indicia quibus copiosos catalogos quos praebent Diodorus, Livius, Dionysius, recentioribus intelligamus excogitatos esse temporibus, tamen reges Albanorum iam antiquissimis Romanorum historicis non plane fuisse ignotos haud minus constat (cf. Cass. Hem. fr. 8[62]); Cato fr. 11; Soltau Chr. R. p. 420). Sed accedit aliud. Apud Hieronymum sub Abraham 1104 legimus haec (cf. Holzapfel. Chr. R. 276): „In latina historia haec ad verbum scribta reperimus. Agrippa aput Latinos regnante Homerus poeta in Graecia claruit, ut testantur Apollodorus grammaticus et Euforbus historicus, ante urbem Romam conditam ann. CXXIIII, et ut ait Cornelius Nepos ante Olympiadem primam ann. C.“ Cum Apollodorum grammaticum sciamus altero a. Chr. n. saeculo fuisse, et re vera, si fidem habemus catalogis Diodori et Dionysii, annus ante urbem conditam cen-

[62]) Justissime defendunt Ed. Meyer l. l. p. 615 adn. 1. Soltau Chr. R. p. 420 adn. 1, et alii non esse causam cur hoc fragmentum Cassii Heminae annalibus denegemus cum Mommseno Chr. R. p. 155 adn. 295.

tesimus vicesimus quartus cadat in regnum Agrippae Sylvii illis iam temporibus — dico alterum a. Ch. n. saeculum — colligere possumus fuisse catalogum quendam pervulgatum regum Albanorum similem eis quos Diodorus et Dionysius tradunt memoriae[63]). Contra Dionysii et Diodori catalogos ipsos recentiorem indicare originem, dilucide apparet ex eis quae ad Juliorum celebrandam familiam narrationi sunt immixta. Nam uterque et Diodorus et Dionysius I 70 consentientes fere inter se Ascanio mortuo produnt litem exarsisse inter Ascanii filium, qui a Dionysio l. l. Julus, Julius a Diodoro appellatur, et Sylvium Aeneae filium; populi autem suffragiis hunc adeptum esse regnum, illum pontificem maximum constitutum et fere secundum regem esse habitum. Sic narrat Diodorus, a quo in paucis tantum dissentit Dionysius l. l. Quae fabula inserta est nimirum Julium Caesarem adulandi causa, cui anno 691 pontificis maximi munus est delatum (cf. Mommsen Chr. R. 160. R. F. II p. 267 adn. 61; Holzapfel Chr. R. p. 261. Collmann l. l. p. 38. Bornemann l. l. p. 9).

Exoritur nunc quaestio e quo auctore mutuatus sit Diodorus tabulam[64]) regum Albanorum. Si Servio credimus, Livius I, 3 in enumerandis regibus Albanorum secutus est Alexandrum Polyhistorem Sullae libertum. Ne Diodorum eundem putemus adiisse fontem, impedimur, ut recte intellexit Collmann l. l. p. 38. verbis ipsis Servii. Nam Servio teste l. l. Alexander narraverat Tiberinum venantem fluctibus esse obrutum eius fluvii qui ab eo Thybris est appellatus; contra Diodorus scribit Tiberium adversus Etruscos bellantem, cum trans flumen copias traduxerit, gurgite obiisse. Quae cum ita sint, nullo modo fieri potest, ut Diodori Albanorum regum index flu-

[63]) Minorem vim quam Holzapfel attribuo Plutarchi verbis in vitae Romuli cap. 3 „τῶν ἀπ' Αἰνείου γεγονότων ἐν Ἄλβῃ βασιλέων εἰς ἀδελφοὺς δύο Νομήτορα καὶ Ἀμούλιον ἡ διαδοχὴ καθῆκεν," Qua in parte cum Plutarchus Fabii annalibus usus sit, suspicatur Holzapfel iam Fabium praebuisse regum Albanorum indicem. Fugit autem virum doctum Plutarchum in eadem narrationis parte non solum Fabium, sed etiam Varronem et Jubam usurpasse.

[64]) Catalogum Eusebianum vol. I. p. 289 non fluxisse e Diodori bibliotheca iam demonstratum est a Collmanno l. l. p. 27/33 et Gelzero Sext. Jul. Afric. II p. 85.

xerit ex Alexandro. Itaque iam cogitabant viri docti de Castore chronographo, cuius in opere chronologico tabulam regum Albanorum non defuisse cognoscimus e fragmento servato ab Eusebio I p. 295 S. Quo e fragmento rectissime conclusit Gelzer, S. J. A. II. p. 87, Castoris iudicio Brutum et Collatinum anno 520, Romam vero conditam anno 764 a. Ch. n. fuisse. Praeterea Troiam captam posuit Castor anno a. Ch. n. 1193 (cf. Gelzer l. l. p. 68) ita ut inter Troiae excidium et annum urbis] conditae statueret intervallum annorum 429 qui explentur Aeneae erroribus et Latinorum regibus Qua cum ratiuncula optime convenire Diodorum luculenter ostendit Gelzer l. l. p. 85/87. Nam idem 429 annorum intervallum invenitur in fragmento, ab Eusebio servato si summam facimus annorum quos singulis attribuit regibus. Quibus iam demonstratum est Diodori Albanorum regum indicem redire ad Castoris chronoligicas tabulas. Sed accedunt alia quibus commovemur, ut Castorem Diodori fuisse fontem censeamus. Observatum est iam ab aliis, Collmanno imprimis l. l. p. 36, Castorem ieiunis et exilibus chronologicis tabulis etymologias innectere fuisse solitum (cf. Cast. frag. 18). In Diodori autem de quo agimus fragmento non minus quam tres reperiuntur etymologiae[65]).

Inde quod Diodori Albanorum regum indicem e Castore manasse pro certo statuere licet etiam alia lucramur. Iam manifestum est annum urbis conditae a Diodoro probatum (Ol. 7, 2; annis post Troiae incendium 433) minime congruere cum chronologica ratione quam secutus est in enumerandis regibus Albanorum. Falso igitur olim statuit Mommsen fontem ad quem rediret Diodori index Albanorum annum urbis conditae constituisse ol. 7, 2 (cf. Mommsen Ch. R. p. 152 adn. 288). Quae cum ita sint, cogitat Collmann l. l. p. 33/35 de Apollodoro quem hunc comprobasse annum supra diximus; quae tamen coniectura omni satis firmo caret fundamento. Sed fortasse propius accedimus ad veritatem rati quaecunque in initio fragmenti 3 legimus usque ad somnium Aeneae,

[65]) Cum etiam in Livii catalogo, qui debetur Servio teste Alexandro, similes nonnullae extent etymologiae, Gelzeri (l. l. 87 adn. 1.) suspicio verisimilis est Castorem indicem suum ex Alexandro mutuatum suo arbitrio auxisse et mutasse.

Diodorum iam in fonte a se adhibito in unum congesta deprehendisse. Quem auctorem Polybium fuisse prompta est coniectura, si Polybii historias in libris sequentibus VIII et X a Diodoro non esse neglectas infra demonstrabimus.

De Castore a Diodoro usurpato unus restat scrupulus. Nam tabulas suas chronologicas usque ad annum 693, quo consulatum gesserunt M. Valerius Messalla et Marcus Piso, deduxisse, ipse testatur Castor frag. 19. Itaque concludit Mommsen R. F. II 269 adn. 64, cum ea quae in indice Albanorum regum ad Julii pertinent pontificatum, non ante Caesaris censeat principatum potuisse scribi, non Castorem ipsum a Diodoro esse adhibitum. Nam Castorem libros suos post annum 701 edidisse non credibile esse.′ Quocum consentit Gutschmid, qui ex Eusebio I 265, 5 „E Kastoris VI libris; in quibus a Nino ac deorsum olompiades CLXXXI collegit", conicit apud Euseb. S. I p. 241, scripsisse illum olympiade CLXXXI (56—53 a Ch. n.). Quibuscum etiam quadrare quod Castor apud Euseb. I p. 183 post annum 61 nullas memoria dignas res gestas esse dicat. Sic non iudicasset, docet Gutschmid l. l., si scripsisset post annum 53, a quo et in Gallia et in Syria multae et egregiae res geri coeptae essent.

Quam falsam esse sententiam persuasit mihi Wachsmuth, praeceptor illustrissimus. Legimus enim apud Euseb. S. p. 183,7; „Postea annui a Kreonte principatum sumentes, desinunt sub Theophemo; cuius aetate omnino quidem nostrae regionis res praeclaraque gesta cessarunt" Haec Kastor. Cum igitur Castorem Rhodium fuisse sciamus, verba „nostrae regionis" perlucidum est spectare ad terras orientales eg. Asiam. Nullo modo e Castoris verbis concludere debemus in regionibus occidentalibus Gallia Italia, Hispania nihil memoratu dignum esse gestum. Similiter ex Euseb. I. p. 265,5 S: „E Kastoris VI. libris; in quibus a Nino ac deorsum olompiades CLXXXI collegit" utiquam comprobari potest illum ol. CLXXXI tabulas suas composuisse. Facile potest cogitari Castoris libellos non ante Caesaris principatum esse editum. Cum vero a. 47 Caesar in Asia contra Pharnacem

---

67) Castorem Rhodium chronographum non fuisse Castorem, Deiotari regis generum, demonstravit Gelzer l. l. II p. 70 sqq.

bellum gessit, sequitur Castorem ante annum 47 tabulas scripsisse. Praeterea procul dubio dissensus extat inter archontem Theophemum = 61 a. Chr. n. (cf. Euseb. I p. 295, 33) et ol. 181 = 53 a. Chr. n. (cf. Euseb. I p. 265, 5). Cum vero Castorem finem fecisse cum Theophemo archonte constet (cf. Euseb. I p. 183 et 295), sagacissime suspicatur Wachsmuth apud Eusebium p. 265, 5 pro CLXXXI scribendum esse CLXXIX = 61 a. Chr. n., ita ut tollatur dissensus. Nam ol. 179, 4 Theophemus Athenis erat archon.

Eadem ratione iam Müller in Herodoti editione Didotiana p. 177 locum emendaverat.

Quodsi quae adhuc de fragmentis libri VII ad Romanorum res gestas spectantibus disputavimus, animo repetemus, maximam partem Diodorum Castoris chronologicis debere pro certo statuere licebit. Praeterea ut in libris XI—XX Fabii Graecis annalibus usus esse videtur, nisi forte quis credit alium quendam auctorem, qui Fabium in usum suum converterat, a Diodoro esse adhibitum. Sin autem Fabium ipsum usurpavit, (quod cur negemus non video) necessario sequitur ut prima pars fragmenti 3 aliunde nescio quo ex fonte sit deprompta. Jam supra cogitavimus de Polybio. Quae coniectura commendatur praesertim eo quod Diodorus eundem atque Polybius prodit annum urbis conditae. Certius quidquam enucleari vix poterit. Similiter res se habet cum fragmento 2, nam quis ille a Diodoro et a Varrone adhibitus auctor fuerit, diiudicare non audeo.

De fragmentis librorum VIII et X.

Progrediamur nunc ad ea fragmenta, quae in libris VIII et X ad res a regibus Romanorum gestas spectant. Quamquam Diodorum de regibus Romanorum multo copiosius et fusius quam de liberae rei publicae antiquissimis temporibus enarrasse nunc etiam cognoscimus, tamen facile potuit fieri ut ille hac quoque in parte operis eodem usus sit annalium scriptore, quo in libris sequentibus. Demonstratur enim reli-

quiis antiquissimos iam Romanorum historicos regum res gestas diligenter scriptis mandasse, res vero priscas, quae regibus expulsis sunt factae, percurrisse potius quam accurate enarrasse. Diódori fragmenta quae ad haec potissimum pertinent tempora, nondum adhuc diligentius sunt examinata et pertractata. Nam Mommsen R. F. II 270, Cohn p. 22, Klimke p. 39, Collmann p. 41 paucis tantum verbis ea attingunt.

Quam ad quaestionem priusquam propius accedamus, operae pretium erit, ut postea certius de Diodori fontibus iudicare possimus, antea disserere de fontibus aliorum scriptorum qui historiam regum Romanorum produnt.

a. De Polybio.

Initium faciamus a Polybio. Quem res a regibus Romanis gestas in digressu, quem inseruit libro sexto, enarrasse primus investigavit Nissen in M. Rh. XXVI p. 253—254. Polybius Fabii[67] se usurpasse annales identidem testatur. Neque omnino alium Romanum auctorem laudat atque Fabium: I 14, 4; 15, 12; 58, 5; III 8, 1. Tamen alios Romanorum scriptores historicos non plane neglexisse Polybium credibile est; Catonis eg. originibus permulta eum debere Soltau demonstrare studuit in „Wochenschrift für classische Philologie" 1888 p. 373 sqq.

b. Cicero de re publica lib. II.

II, 14, 27 ipse confitetur Cicero: „sequamur enim potissimum Polybium nostrum quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior."[68]) Accedit quod Cicero II 10, 18 eundem comprobat annum urbis conditae quem Polybius apud Dionysium I 74. Mirandum igitur est quod aliae rationes chronolo-

[67]) Sunt etiam qui cogitaverint de Pisone, Polybii fonte. Quae opinio nullo modo ferri potest, nam Polybium librum VI ante annum 151 scripsisse notum est (cf. Thommen Hermes XX p. 208 sqq.). Sed cum Piso consulatu functus sit anno 133 (621), dubitari nequit quin historias conscribendi consilium peregerit eis quibus a negotiis publicis se removerat temporibus. Itaque ea quae Pol. in lib. VI de antiquitate Romanorum congesserat, e Pisone non fluxerunt.

[68]) R. J. Schubert „quos Cicero in libro I et II de re publica auctores secutus esse videatur" inde a pag. 42 paucos alios affert Ciceronis locos quos comparat cum Polybii lib. VI frustulis quae temporis tulerunt iniquitatem. E. g. recte conferre possumus verba, quibus annalium scrip-

gicae quas instituit Cicero ineunte libro secundo, minime quadrant ad annum urbis conditae ol. 7, 2; optime vero conveniunt cum Fabii ratione chronologica (ol. 8, 1 u. c.), id quod primus intellexit Mommsen in Chr. R. p. 141 adn. 261. Quam observationem esse rectissimam accurate demonstravit Seeck, Tab. Pontif. p. 102 sqq., cui adstipulati sunt Soltau Chr. R. p. 275, Matzat Tab. Chr. R. p. 44. Qua re fit verisimilius Polybium in regum Romanorum rebus enarrandis Fabii annales in usum suum convertisse. Polybium non solum chronologicum sed etiam historicum Ciceronis fuisse fontem discimus inter se comparantes Ciceronem de r. p. II 20, 35 cum Polybio VI 2, 10. Qua ratione Cicero in rei publicae lib. II secutus sit Polybium et quomodo aliorum immiscuerit doctrinam explicuit Schubert l. l. (cf. Scala, Studien d. Polyb. I p. 233 sqq.)

c. De Plutarcho.

In Plutarchi vita Romuli discernenda sunt ea quae ad antiquitates et ea quae ad historiam ipsam pertinent. Ut Plutarchus fere semper in adhibendis fontibus eclecticam secutus est rationem, sic in hac quoque componenda vita eos locos, ubi de antiquis moribus, de institutis tum sacris tum profanis sermo est, aut e Varrone aut e Juba deprompsit, cum ea quae ad historiam ipsam, res domi militiaeque gestas spectant, ex historicorum hauserit scriptis. Quamquam a veritate abhorret C. F. A. Schmidt, „de fontibus Plutarchi in vitis Romuli et Numae" p. 12. ratus Fabii annalibus fundamentum vel quasi ossa vitae Romuleae deberi, tamen Plutarchum in hac vita non raro Fabii annales accivisse constat. Quae enim inde a capite tertio usque ad octavum de Romulo et Remo adulescentibus tradit, eorum maximam partem Fabii esse ipse testatur in c. 3 et 8. Item in enarran-

tores Numam aut Pythagorae ipsius discipulum aut certe Pythagoreum tradentes vituperantur cf. 1b, 28 cum Pol. VI, 1, 11.

Pol.	Cic.
τὸ γὰρ ἀδύνατον ἐν τῷ ψεύδει μόνον οὐδ' ἀπολογίαν ἐπιδέχεται τοῖς ἁμαρτάνουσι.	ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum ficta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus.

Alia, quae addit vir doctus, incertiora mihi esse videntur.

dis Tarpeiae proditione (c. 17) et Sabinarum virginum raptu (14) Fabii annales non neglexisse videtur (cf. C. F. A. Schmidt, „de fontibus Plutarchi in vitis Romuli et Numae“; Barth, „de Jubae ὁμοιότησιν“, Peter, „*Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer*“ p. 146 sqq.).

d. De Dionysio Halicarnassensi.

Res a regibus Romanorum gestas Dionysius in quattuor libris copiosa et diffusa describit expositione. Haud dubie hac prima in parte antiquitatum Romanarum quaecunque e multis Romanorum scriptoribus decerpserat, in unum congessit et coacervavit. Non raro iuxta ponit traditiones discrepantes quippe quae a diversis prodantur auctoribus (cf. e. g. Remi mortem, Tarpeiae proditionem.) Laudatur Piso II 38; IIII 7; IIII 15; Cn. Gellius II 31; II 72; II 76; IIII 6; VI 11; saepissime etiam Fabius I 79; II 36; IIII 6, 15, 30, 64 alii.

e. De Livio.

Restat ut de Livio Patavino paucis disputem. Livium primo in libro, quo res a regibus gestae continentur, nullo fere nisi Fabio usum esse auctore, id quod multi opinati sunt viri docti, certis argumentis neutiquam potest confirmari. Nuper Heydenreich in libello qui inscribitur „Fabius Pictor und Livius“ protulit causas satis idoneas quibus adductus ego quoque re diligenter perpensa dubitem num Livius cum in aliis tum primo in libro multa debeat Fabii annalibus. Neque vero id contendam Fabii annales a Livio prorsus non esse adhibitos, laudantur enim I44,2; 55,7. Praeter Fabii hoc primo in libro Pisonis inveniuntur vestigia, qui laudatur I55,8. Porro in capite 11,9 quo agitur de Tarpeiae proditione, verba „sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus haberent, derecto arma petisse dicant, et fraude visam agere sua ipsam peremptam mercede“ Pisonem sentire, discimus e Dionysii lib. II, 38. Item Livius in capite 46,4 Pisonis sententiae facit mentionem. „Hic L. Tarquinius (Prisci Tarquinii regis filius neposne fuerit, parum liquet, pluribus tamen auctoribus filium ediderim)“ Docet enim Dionysius IV,7, Pisonem, qui praecipuam curam posuit in temporum ratione, Lucium Superbum non filium, ut fama ferebat, sed nepotem fuisse Tarquinii Prisci defendisse.

Hi fere sunt auctores quibus adiuvamur de Diodori Siculi fontibus disputantes. Quibus peractis in Diodori fragmenta ipsa nunc inquiramus.

Iam supra observavimus Diodorum et in libris XI—XX, quibus liberae rei publicae antiquissima enarratur historia, et in fragmentis lib. VII Castoris inspexisse tabulas chronologicas. Oritur ergo quaestio num etiam nonnulla fragmenta libb. VIII et X chronologicam, ut ita dicam, prae se ferant originem. Re vera Collmann l. l. p. 41 suspicatus est lib. VIII fr. 4 D. ubi sermo est de augurio fratrum et de Remo a Celere occiso, e Castoris fluxisse chronologico. Ille enim vir doctus eiusdem rei narrationem quam Livius prodit I 7, cum persuasisset sibi e Fabio esse deprompt am — id quod nullis demonstrari potest argumentis, — fieri non posse statuit ut Diodori narratio ad eundem rediret annalium scriptorem. Igitur necessario Castori chronographo, quippe qui in antecedente libro a Diodoro esset adhibitus, singularem illam famam de Remi morte esse attribuendam. Cui mirae argumentationi optimo iure iam adversati sunt Mommsen R. F. II 270 adn. 67 nec non Bornemann l. l. p. 9. Accedunt aliae causae cur de Castore ne cogitari quidem possit. Qui chronographus sex tantum libris tempora non solum Romanorum sed etiam Graecorum et barbarorum descripsit. Quibus iam manifestum fit, ut opinor, Castorem fabulas illas, quae de urbe condita, fratrum contentione, Remi morte etc. ferebantur, non tam copiose enarrasse.[69])

Maiore cum specie verisimilitatis suspicatur Bornemann l. l. p. 9 lib X fr. 2. D. „*ὅτι Σέρουιος Τύλλιος ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς ἐβασίλευσεν ἔτη τετταράκοντα τέτταρα, διὰ τῆς ἰδίας ἀρετῆς κατωρθωκὼς οὐκ ὀλίγα τῶν κοινῶν.*“ Quod frustulum eam prae se ferre brevitatem quam Castoris tabularum propriam fuisse puto concedendum est. Sed eodem iure aliquis defendere potest breve hoc fragmentum e copiosiore fonte, qui in fine narrationis paucis verbis omnia Servii merita paucis complexus erat verbis, esse depromptum. Jam Fabius

[69]) Rectissime animadvertit Mommsen l. l. eam quoque de Remi morte famam, quam praefert Diodorus, satis esse antiquam. Alia nimirum est quaestio utrum e Fabio sumpserit sua Diodorus an ex alio nescio quo recentiore fonte. Qua de re infra plura disputabimus.

de Servii institutis diligenter exposuisse videtur (cf. Fab. fr. 9—10 P.). Itaque in dubio rem relinquamus. Ac ne tabulam quidem chronologicam regum Romanorum e Castore transtulit Diodorus. Cuius sententia (Euseb. I, 291, 8—14) regum Romanorum dominatio durabat per annos ducentos et quadraginta (cf. Gelzer. S. I. A. II p. 86), cum ille regum tempora probaverit annorum 244 (cf. ibidem.). Inter alia fragmenta extat nullum in quo chronologica appareat species.

Disputaturi de singulis fragmentis exordiamur a

1. lib. VIII fr. 31.

Quo fragmento Tarquinii adventus narratur simulque describitur quomodo advena ille regis gratiam sibi conciliaverit. Qua in re enarranda mirum esse consensum Diodori et Polybii VI, 2, 10, primus ni fallor rectissime animadvertit Collmann l. l. p. 52. Quod optime docet locorum comparatio.

Pol. VI, 2 10.

ὅτι Λεύκιος ὁ Δημαράτου τοῦ Κορινθίου υἱὸς εἰς Ῥώμην ὥρμησε κτα. . . . . παραγενόμενος δ' εἰς τὴν Ῥώμην καὶ τυχὼν τῆς πολιτείας, εὐθέως ἡρμόσατο πρὸς τὴν τοῦ βασιλέως ἀρέσκειαν. ταχὺ δὲ καὶ διὰ τὴν χορηγίαν καὶ διὰ τὴν τῆς φύσεως ἐπιδεξιότητα καὶ μάλιστα διὰ τὴν ἐκ παίδων ἀγωγὴν, ἁρμόσας τῷ προεστῶτι, μεγάλης ἀποδοχῆς ἔτυχε καὶ πίστεως ἔτυχε παρ' αὐτῷ. χρονοῦ δὲ προιόντος εἰς τοῦτ' ἦλθε παραδοχῆς ὥστε συνδιοικεῖν καὶ συγχειρίζειν τῷ Μαρκίῳ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν. ἐν δὲ τούτοις ἐπ' ἀγαθῷ πᾶσι γενόμενος καὶ συνεργῶν καὶ συγκατασκευάζων τοῖς δεομένοις ἀεὶ τι τῶν χρησίμων, ἅμα δὲ καὶ τῇ τοῖ βίου χορηγίᾳ μεγαλοψύχως εἰς τὸ δέον ἑκάστοτε καὶ σὺν καιρῷ χρώμενος ἐν πολλοῖς μὲν ἀπετίθετο χάριν, ἐν πᾶσι δ' εὔνοιαν ἐνειργάσατο καὶ φήμη ἐπὶ καλοκαγαδίᾳ καὶ τῆς βασιλείας ἔτυχεν.

Diod.

ὅτι Λεύκιος Ταρκοίνιος ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς σπουδαίας ἔτυχεν ἀγωγῆς, καὶ γενόμενος ζηλωτὴς παιδείας οὐ μετρίως δι' ἀρετὴν ἐθαυμάζετο. ἀνδρωθεὶς γὰρ συνεστάθη τῷ βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων Ἄγκῳ Μαρκίῳ καὶ φίλος αὐτοῦ μέγιστος ἐγένετο καὶ πολλὰ κατὰ τὴν βασιλείαν συνεδιῴκει τῷ βασιλεῖ, καὶ μεγαλόπλουτος ὢν πολλοῖς τῶν ἀπόρων ἐβοήθει χρήματα διδοὺς καὶ πᾶσι προςφιλῶς ὁμιλῶν ἄμεμπτος ὢν καὶ ἔνδοξος ἐπὶ τ῀ σοφίᾳ.[70])

[70]) e Polybio eandem rem narrat Cicero d. r. p. II. 20, 35 . . . . „facile in civitatem receptus esset, propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus, usque eo ut consiliorum omnium particeps

Quibus examinatis locis apparet Diodorum aut e Polybio ipso hausisse aut utrumque eundem adiisse fontem. Priori coniecturae nil obstat; si vero Diodorus Polybio non ipso, sed eodem atque ille usus est auctore non temere suspicamur communem Polybii et Diodori fontem non Latine sed Graece scriptum fuisse. Num credibile est utrumque Latinum quendam secutum fontem, eodem usum esse verbo *συνδιοικεῖν* ut Ancum Marcium a Tarquinio in administratione regni esse adiutum Graece redderet?[71]) Igitur facile potest cogitari de annalibus Fabii, quippe qui iam in libro VII a Diodoro laudetur et sequentibus in libris primarius fons esse videatur (cf. Collmann l. l. p. 53, Schubert l. l. p. 43/44.).

2. lib. X. fr. 20.

Hoc quoque fragmentum quod accuratius pertractetur est dignum. Agitur de Sexti Tarquinii scelere. Ac primum quidem notandum est apud Diodorum atque Ciceronem d. r. p. II 25, 46 maiorem natu regis appellari filium Sextum (Diod: *καὶ γενήσεσθαι βασίλισσαν.*). Item Dionysius IV, 55, 64, 65 eum pro maximo natu habet filio, cum apud Livium I, 53, 5 aliosque (Ov. fast. II 691) nominetur minimus. Quamquam in tota re describenda haud ita discrepant auctores, tamen Livius et Dionysius procul dubio non ad eundem redeunt annalium scriptorem. Apud Livium Sextus minimus, apud Dionysium, ut iam monui, maximus natu est filius. Livius narrat Collatinum simul cum Sexto Tarquinio regiisque iuvenibus nocte e castris Collatiam citatis equis festinasse et Lucretiam inter lucubrantes ancillas sedentem nocte sera lanae deditam invenisse. Ibi Sextus Tarquinius forma Lucretiae incitatus mala percipitur libidine. Paucis igitur interiectis diebus inscio Collatino mulieris stuprandae causa Collatiam se confert. Prorsus aliter narrat Dionysius. Nil

---

et socius paene regni putaretur. erat in eo praeterea summa comitas summa in omnis civis opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinus.

[71]) Livius I, 34 nec non Dionysius III 46/48 recentiores despoliasse videntur fontes.

edit de priore nocturno illo adventu. Quam fabulam si in fonte suo reperisset, vix praeteriisset silentio. Dionysio auctore Sextus a patre rei militaris causa Collatiam missus ad cognati sui devertitur domum eiusque uxori Lucretiae stuprum infert. Quamquam Dionysius rhetoricis coloribus exornavit narrationem, tamen primo cognoscitur obtutu Diodori et Dionysii facinoris relationes inter se esse simillimas. Ampla praemia, ut consentientes produnt Diodorus et Dionysius, Lucretiae promittit Sextus simulque profitetur se illam, si libidini suae cesserit, in matrimonium ducturum secumque illam regnum esse habituram; sin autem resistere sit conata, se illam esse necaturum. Non solum singularum sententiarum ordine, sed etiam verbis nonnumquam inter se conspirant Diodorus et Dionysius:

Dion. IV 64.	Diodorus.
ταύτην τὴν γύναῖκα καλλίστην οὖσαν τῶν ἐν Ῥώμῃ γυναικῶν καὶ σωφρονεστάτην.	*ἥτις ἦν εὐπρεπὴς μὲν τὴν ὄψιν, σώφρων δὲ τὸν τρόπον.*
Dion. IV 65.	**Diodorus.**
ἀποκτενῶ σε καὶ τῶν θεραπόντων ἐπικατασφάξας ἕνα θήσω τὰ σώματα ὑμῶν. ἅμα καὶ φήσω κατειληφὼς ἀσχημονοῦσάν σε μετὰ τοῦ δούλου τετιμωρῆσθαι τὴν τοῦ συγγενοῦς ὕβριν μετερχόμενος.	*παρασκευάσασθαι μὲν ἔφησεν οἰκέτην ἐπιτήδειον εἰς ἀναίρεσιν συγκατασφάξειν δὲ κἀκείνην ὡς ἐπὶ μοιχείᾳ κατειλημμένην καὶ τετευχυῖαν τῆς προσηκούσης τιμωρίας ὑπὸ τοῦ συγγενεστάτου τῷ συνοικοῦντι.*

Caveamus autem ne hunc consensum certum esse putemus indicium eiusdem ab utroque adhibiti fontis praesertim cum constet quo miro et inaudito modo Romani annalium scriptores antecessorum opera despoliaverint ac saepe verba quoque repetiverint. Contra Diodorum et Dionysium si non ad eundem attamen cognatos redire fontes nemo infitiabitur. Cum autem Dionysius IV 64 quo capite incipitur Sexti sceleris narratio, provocet ad Fabium aliorumque scriptorum auctoritatem (*Φάβιος καὶ οἱ λοιποὶ συγγραφεῖς*), vix possum adduci ut Dionysium omnia Fabii debere putem annalibus. Diodorum et Dionysium ex antiquioribus annalium scriptoribus hausisse ex eis apparet quae consonant cum Cicerone (Polybio) de Sexto, maximo natu Tarquinii filio.

3. lib. X p. 21.

Si quis perlegerit hoc fragmentum quo Lucretiam morte sibi accita egregium dedisse exemplum sanctitatis et honestatis copiose praedicat Diodorus, iam cognoscet quantopere antecellat aliis fragmentis cum verborum cultu effusiore, tum orationis variis ornamentis. Quae enthymemata de morte Lucretiae antiquis annalibus debere Diodorum quis est qui credet? Tota e. g. media pars fragmenti inde a verbis *αἱ μὲν οὖν ἄλλαι γυναῖκες* usque ad *ἑκουσίως γεγενημμένης* artificiosis expletur contrapositis. Quid? Nonne genus dicendi, tota orationis ratio, quin etiam verborum electio optime quadrat ad Polybium? Quod quo iure contendam iam explicabo. Ac primum quidem confirmatur nostra sententia Diodori libri VIII fr. 31 quod miro modo cum Polybii conspirare verbis supra iam vidimus. Sed accedunt alia et ut mihi videntur graviora. Nam Polybium tales commentationes praeclarorum facinorum historiis suis commiscuisse scimus. Adde quod e. g. Pol. XI 2 similes meditationes eadem inchoat formula qua etiam Diodorus utitur (*οὐκ ἄξιον ἀνεπισήμαντον παραλιπεῖν*) cf. Diod. XI 59; XV, 88. Item Polybius saepissime adhibet vocabula quorum prima pars formatur adiectivo „*φίλος*“. Cuius usus non desunt exempla in fragmento Diodoreo (*φιλαίτιος, φιλοψυχεῖν*). Etsi Diodorum hoc fragmentum e Polybio hausisse recte, ut credo, a nobis sit demonstratum, tamen utrum narrationem ipsius sceleris debeat Polybio necne ambigi potest. Aliquid certi enucleari nequit.

4. lib. VIII fr. 25.

Quo fragmento describitur bellum quod Tullus Hostilius Romanorum rex incolis intulit Albae Longae. Inveniuntur sane inter Diodorum et Livium I, 22 et Dionysium III 1 sqq., nonnullae similitudines (dico e. g. blandum et benignum hospitium quo Albanorum legati Romae excipiuntur, Tulli regis dolum).

Dionys III 3.	Liv. I, 22, 5.	Diod. VIII p. 25.
παρέταξε τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν ἑαυτοῦ φίλων τοὺς Ἀλβανῶν πρέσβεις ξενίζειν πάσῃ φιλοφροσύνῃ καὶ κατέχειν ἔνδον παρ' ἑαυτοῖς.	excepti hospitio a Tullo blande ac benigne comi fronte regis celebrant convivium.	*τοῖς μὲν φίλοις παρήγγειλε τοὺς πρέσβεις ἐκδέξασθαι καὶ παρακαλεῖν ἐπὶ ξενίαν.*

In aliis autem pugnant inter se[72]). E. g. diversas belli causas proferunt auctores modo laudati, neque progrediente narratione desunt discrepantiae. Quae cum ita sint non eundem, sed similes agnosco fontes apud Livium, Dionysium, Diodorum.

5. lib. VIII fr. 26.

Hoc fragmento fetialium bellicae caerimoniae breviter perstringuntur. Cuius collegii[73]) antiquo Romanorum ritu sacrum erat officium hostibus bellum indicere. De hoc fragmento eo cautius est iudicandum quod Tzetzis tantum nititur auctoritate (Chil. V,15). Ignoramus enim num Tzetzes versiculis suis diligenter textus Diodorei vestigia sit secutus. Aegre ferendum est quod auctores historici mirum quantum inter se discrepant a quo rege fetialium collegium sit institutum. Testatur enim Dionysius II 72 quocum facit Plut. Num. 12. Cam. 18, Numam Pompilium primum Romae fetialium collegium constituisse, cum Livius I 35,5 et Servius ad Aen. X 14 belli indictionem a fetialibus suscipiendam Anco Marcio addicant. Livius vero iam capite 24,4 commemorat sacerdotem fetialem, ubi sermo est de foedere inter Albanos et Latinos icto. Solus Cicero d. r. p. II, 17, quem Polybium primarium auctorem secutum esse scimus, fetialium collegium esse conditum prodit Tullio regnante. Tanta est auctorum diversitas. Quam Diodorus praetulerit sententiam, vix e fragmentis quisquam eruet. Non potest cogitari de Anco Marcio, cum in lib. VIII fr. 25 quo bellum a Tullio contra Albanos gestum describitur, verba „τοῦτο δὲ συνετέλεσεν ἀρχαικῷ τινι προαχθεὶς ἔθει“ et sqq. ad fetialium caeremonias spectare videantur. Relinquuntur igitur Numa et Tullus Hostilius. Incertum autem est, utram amplexus sit sententiam Diodorus.

---

[72]) Falsus igitur est Collmann qui p. 53 Fabium pro communi habet fonte. Incidit in hunc errorem, quod quaecumque Livius primo in libro prodit tribuit Fabio, quem Diodori quoque primarium fuisse fontem persuasum sibi habet.

[73]) Cuius collegii quanta et qualis fuerit potestas copiose describit Dionysius II 72, Livius I 32, 5 sqq.

6. lib. VIII. fr. 14.

ὅτι Πομπίλιος ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς πάντα τὸν τοῦ ζῆν χρόνον ἐν εἰρήνῃ διετέλεσεν. Λέγουσι δέ τινες ἀκουστὴν γενόμενον Πυθαγόρου παρ᾽ ἐκείνου λαβεῖν τά τε περὶ θεῶν νομοθετήματα καὶ πολλὰ διδαχθῆναι δι᾽ ὧν ἐπιφανὴς ἀνὴρ ἐγένετο καὶ βασιλεὺς ἐγένετο μετάπεμπτος (Cic. d. r. p. II 13, 25 alienigena).

Pythagoram Samium Numae Pompilio regi auctorem doctrinae et sapientiae fuisse, iam antiquissimis temporibus commenti esse videntur auctores quidam historici, eg. Livius I 18, Dionysius II 59, Plutarchus in Numae vita 1; alii permulti commemorant et chronologicis causis redarguunt hanc fabulam. Diodorus cum dicat „*λέγουσι δέ τινες ἀκουστὴν γενόμενον Πυθαγόρου κτα*" hanc memoriam putandus est aut aliunde decerptam primario suo immiscuisse fonti, aut iam dubitanter prolatam reperisse in auctoris opere a se usurpato. Quam fabulam iam antiquis temporibus fictam vulgoque esse creditam discimus e Cic. d. r. p. II 28, ubi Scipionem sic facit dicentem: „saepe enim hoc de maioribus natu audivimus et ita intellegimus vulgo existimari neque vero satis id annalium publicorum auctoritate, declaratum videmus" et paulo infra: „Di immortales, inquit Manilius quantus iste est et inveteratus error." Cum Cicero semper temporibus et personis qui dialogos instituunt verba sua accommodare soleat, ad Scipionum revocamur tempora. Quae cum ita sint, non vereor adstipulari Mommseno R. F. II p. 270, rato Fabium miram hanc fabulam, si in annalibus prodiderit, non critica examinasse ratione[74]). Contra R. J. Schubert l. l. p. 42 iam Polybium, Ciceronis fontem, ea in historiarum libri VI parte, quae periit temporum iniquitate, auctores Numam Pythagorae discipulum fuisse comprobantes castigasse recte demonstravit. Apertis verbis Polybius laudatur II 14, 27, ubi sermo est de regno Pompilii; adde ea Ciceronis verba 15, 28, quae sagaciter comparat Schubert l. l. cum frustulo Polybiano

[74]) Quam fabulam Fabii ingenio esse indignam non est cur credamus. Cum Graeca ille usus sit lingua, facile potest cogitari consulto eum tales investigasse fabulas quibus communitas quaedam et Graecorum et Romanorum morum institutorumque cognosceretur. Fabium a chronologicis erroribus neutiquam sibi cavisse disertis verbis testatur Dionysius IV 30,

VI 1, 11 cf. supra pag. 60. Itaque prona est coniectura Diodorum sicut alia hoc quoque fragmentum e Polybio deprompsisse.

7. lib. VIII fr. 3ª D.

Romuli et Remi pueritia describitur, vita imprimis quam inter pastores degebant. De eadem re produnt Plut. Rom. 3—8[75]), Cic. d. r. p. II, 24; Liv. I, 4, 8—9. Dion. I, 79/81.

Cic. II, 2, 4

. . . . perhibetur, ut adoleverit, et corporis viribus et animi ferocitate tantum ceteris praestitisse ut omnes, qui tum eos agros ubi hodie est haec urbs, incolebaut aequo animo illi libenterque parerent.

Liv. I, 4, 8—9.

Ita geniti itaque educati, cum primum adolevit aetas, nec in stabulis nec ad pecora segnes venando peragrare saltus. Hinc robore corporibus animisque sumpta iam non feras tantum subsistere sed in latrones praeda onustos impetus facere pastoribusque rapta dividere, et cum his crescente in diés grege iuvenum seria ac ioca celebrare.

Diod. VII fr. 3a.

ὅτι τούτων ἐκτεθέντων, ἐπειδή τοῦ χρόνου προιόντος ἠνδρώθησαν, πολὺ διέφερον τῶν ἄλλων κάλλει καὶ ῥώμῃ. Διὸ καὶ πᾶσι τοῖς ποιμνίοις ἀσφάλειαν παρείχοντο, ῥᾳδίως τοὺς λῃστεύειν εἰωθότας ἀποκρουόμενοι καὶ πολλοὺς μὲν ἀναιροῦντες τῶν ἐπιτιθεμένων, ἐνίους δὲ καὶ ζῶντας συλλαμβάνοντες. χωρὶς δὲ τῆς ἐν τούτῳ φιλοτιμίας ὑπῆρχον ἅπασι τοῖς πλησίον νομεῦσι προσφιλεῖς, ταῖς δ' ὁμιλίαις συνόντες καὶ τὸν ἑαυτῶν τρόπον μέτριον καὶ κοινὸν τοῖς δεομένοις ἀναδεικνύντες. Διὸ καὶ τῆς πάντων ἀσφαλείας ἐν τούτοις κειμένης οἱ πλεῖστοι τούτοις ὑπετάττοντο καὶ τὸ παραγγελλόμενον ἐποίουν συντρέχοντες εἰς οὓς προστάξαιεν τόπους.

Plut. Rom. 6.

ἡ μὲν οὖν ἐν τοῖς σώμασιν εὐγένεια καὶ νηπίων ὄντων εὐθὺς ἐξέφαινε μεγέθει καὶ ἰδέᾳ τὴν φύσιν, αὐξόμενοι δὲ θυμοειδεῖς ἦσαν ἀμφότεροι καὶ ἀνδρώδεις καὶ φρονήματα πρὸς τὰ φαινόμενα δεινὰ καὶ τόλμαν ὅλως ἀνέκπληκτον ἔχοντες. ὁ δὲ Ῥώμυλος . . . . ἑαυτοῦ παρέχων κατανόησιν ἡγεμονικοῦ μᾶλλον πειθαρχικοῦ φύσει γεγονότος. διὸ τοῖς μὲν ὁμοφύλοις ἢ ταπεινοτέροις προσφιλεῖς ἦσαν . . . . καὶ τὸ λῃστὰς ἀλέξασθαι καὶ κλῶπας ἑλεῖν καὶ βίας ἐξελέσθαι τοὺς ἀδικουμένους.

Si Diodori fragmentum cum Cicerone, Polybio et Plutarcho contulerimus, Plutarcho similiorem esse cognoscemus

[75]) Ea, quae Plutarchus praebet, e diversis auctoribus sunt consuta cf. p. 61.

Diodori descriptionem quam Ciceroni. Diodorus et Plutarchus fratrum comitatem, mansuetudinem, benificam praedicant voluntatem. Qua de re tacet Cicero. Porro Cicero: „corporis viribus animique ferocitate“

Diodorus: „κάλλει καὶ ῥώμῃ“. Plutarchus: „μεγέθει καὶ ἰδέᾳ.“

Diodorum et Plutarchum ad eundem redire fontem, cogitari potest. Quae si recte se habet sententia, revocamur ad Fabium cuius annalibus Plutarchus in his de quibus disputamus capitibus primario fonte se usum esse ipse profitetur in capp. 3, 8. Difficile est diiudicatu, num Polybius quoque Fabium adierit, cum plane ignoremus quae Polybius e fonte suo, Cicero e Polybio repetiverit, quae omiserit. Diodorum sua mutuatum esse e Polybio vix potest comprobari nisi forte quis credit Ciceronem in eadem enarranda re permulta detraxisse Polybio neque fide reddidisse auctorem a se adhibitum. Tales vero suspiciones omni carent fundamento, cum Polybii librum VI temporum iniquitate valde mutilatum cum Cicerone conferre nequeamus.

8. Lib. X fr. 1.

Hoc fragmentum spectat ad Servium Tullium, a Lucio Tarquinio, Tarquinii Prisci filio[76]) in curia occisum. Juxta ponam et Dionysii et Diodori narrationes ut examinemus qualis ratio intercedat inter eas. Apud

Dionys. IV 38 legimus haec.

ἐλθὼν δ' εἰς τὸ συνέδριον καὶ τὸν Ταρκύνιον ἰδὼν ἐπὶ τῆς βασιλικῆς καθήμενον ἕδρας καὶ τὸν ἄλλον βασίλειον ἔχοντα κόσμον „τίς, εἶπεν ὦ μιαρώτατε ἀνθρώπων τοῦτό σοι τὸ σχῆμα συνεχώρησε λαβεῖν.“ καὶ ὃς ὑπολαβὼν, „ἡ σή τόλμα καὶ ἀναίδεια, εἶπεν, ὦ Τύλλιε, ὃς οὐδ' ἐλεύθερος ὢν, ἀλλὰ δοῦλος ἐκ δούλης, ἣν οὑμὸς ἐκτήσατο πάππος ἐκ τῶν αἰχμαλώτων, ἐτόλμησας βασιλέα Ῥωμαίων σαυτὸν ἀναδεῖξαι.“ ὡς δὲ ταῦτα ἤκουσεν ὁ Τύλλιος . . .

Diodor X 1.

ὅτι Σερούιος Τύλλιος Ταρκυνίου ἐπιθεμένου παραγενηθεὶς εἰς τὸ βουλευτήριον, καὶ θεασάμενος τὴν καθ' ἑαυτοῦ παρασκευὴν, τοσοῦτον μόνον εἶπε, τίς ἡ τόλμα, Ταρκύνιε; ὁ δὲ ὑπολαβὼν, ἡ μὲν οὖν σή, φησί, τις, ὃς δουλέκδουλος ὢν Ῥωμαίων βασιλεύειν ἐτόλμησας καὶ τῆς τοῦ πατρὸς ἡγεμονίας ἡμῖν προσηκούσης παρὰ νόμους ἀφείλου τὴν οὐδὲ καθ' ἕνα σοι τρόπον ἐπιβάλλουσαν ἀρχήν; ταῦτα λέγων, ἅμα προσέδραμε καὶ

---

76) Chronologicis causis commotus Piso defenderat Lucium Tarquinium Superbum non filium sed nepotem Prisci regis fuisse.

. . . . ὥρμησεν ἐπ᾽ αὐτὸν ὡς ἐξαναστήσων τῆς ἕδρας. καὶ ὁ Ταρκύνιος ἄσμενος ταῦτ᾽ ἰδὼν ἀναπηδᾷ τε ἐκ τοῦ δίφρου καὶ συναρπάσας τὸν γέροντα κεκραγότα . . . . γενόμενος δ᾽ ἔξω τοῦ βουλευτηρίου μετέωρον ἐξάρας αὐτὸν ἀκμάζων τὸ σῶμα καὶ ῥωμαλέος ἀνὴρ ῥιπτεῖ κατὰ τῶν κρηπίδων τοῦ βουλουτηρίου.

δραξάμενος τῆς τοῦ Τυλλίου χειρὸς ἔρριψεν αὐτὸν κατὰ τῆς κρηπῖδος. καὶ διαναστὰς καὶ χωλεύων διὰ τὸ πτῶμα ἐπεχείρησε φυγεῖν, ἀπεκτάνθη δέ.

Similiter Livius quoque in lib. I c. 48, 1—3 rem describit. Extant haec: „Quid hoc, inquit, Tarquini, rei est? Qua tu audacia me vivo vocare ausus es patres aut in sede considere mea?“ Cum ille ferocior ad haec: se patris sui tenere sedem, multo quam servum potiorem filium regis, regni heredem, satis illum diu per licentiam eludentem insultasse dominis.“ clamor ab utriusque fautoribus oritur et concursus populi fiebat in curiam apparebatque, regnaturum qui vicisset. „Tum Tarquinius, necessitate iam etiam ipsa cogente ultima audere „multo et aetate et viribus validior, medium arripit Servium elatumque e curia in inferiorem partem per gradus deiicit etc. Quas narrationes inter se esse simillimas nemo infitias ibit. Unde Collmann l. l. p. 53 Diodorum et Dionysium et Livium ex eodem hausisse fonte concludit; quae sententia, quamquam primo arridet obtutu, tamen re diligentius perpensa dubitationes sat graves movere debet. Nam si diligentius circumspexerimus locos, inveniemus discrepantias, quae memoratu valde sunt dignae. Ac primum quidem mittamus Diodorum; in Livium et Dionysium inquiramus. Sunt procul dubio nonnulla, quibus paene ad verbum inter se conspirant. e. g. Dionysius: „*ἀκμάζων τὸ σῶμα καὶ ῥωμαλέος ἀνήρ.*“ Livius: „multo et aetate et viribus validior.“ Uterque narrat a Tarquinio Servium regem arreptum, e curia elatum per gradus in comitium esse deiectum. Nunc subiungamus differentias. Livio auctore Tarquinius necessitate cogitur Servium aggredi (quod concursus populi fiebat in curiam apparebatque regnaturum qui vicisset), cum Dionysius Servium ipsum narret ferocibus Tarquinii verbis auditis in eum impetum fecisse ut de sella regia deturbaret. Progrediamur iam ad Diodorum, qui nonnumquam et a Livio et a Dionysio discrepat.

Tarquinius statim (ἅμα) in Servium irruit senisque manum apprehendens (non medium arripit Servium) e curia trahit. Apud Diodorum Servius nil dicit nisi „τίς ἡ τόλμα", quae verba optime excipiuntur eis quae respondet Superbus „ἡ σὴ τόλμα κτα."

Quae si animo perpenderimus, cognatos agnoscemus fontes, non eundem. Fabium communem Diodori, Dionysii, Livii auctorem fuisse vix crediderim.

9. Lib. VIII fr. 5.

Hoc unum ex eis quae restant fragmentis est dignum in quod accuratius inquiramus. Narrantur Romulus et Remus aves observantes in priore fragmenti parte, in altera murorum aedificatio et Remi mors describuntur. Collmann p. 43 enucleasse sibi visus est Diodorum sicut alios prodidisse Remum a Romulo fratre auspiciis esse deceptum. Quem sensum ut e priore fragmenti parte, quae miserrime est lacunosa, interpretemur, tantum abest ut contra eis quae continuantur verbis in contrariam ducamur sententiam. Sic enim progreditur oratio: „ὁ δὲ Ῥέμος βαρέως φέρων ἐπὶ τῷ διεσφάλθαι τῶν πρωτείων κτα." Neque etiam Livius I, 7 de fraude quicquam tradit. In Plutarchi vero Rom. vitae c. 9 et 10 duplex memoria facile potest discerni. Cum Plutarchus res historicas usque ad finem c. 8 se sumpsisse e Fabio ipse concedat, alteram e duplici memoria quae apparet capitibus succedentibus, Fabianam esse verisimile est, praesertim cum Plutarchus iam ineunte cap. 14 denuo laudet Fabii annales[77]). In capite 9 congruens cum Livio narrat Remo sex, Romulo duplicem numerum vulturum se ostendisse. Cui historiae adnectit aliam memoriam his verbis: „οἱ δὲ τὸν μὲν Ῥῶμον ἀληθῶς ἰδεῖν, ψεύσασθαι δὲ τὸν Ῥώμυλον, ἐλθόντος δὲ τοῦ Ῥώμου τότε τοὺς δώδεκα τῷ Ῥωμύλῳ φανῆναι". Quibuscum conveniunt ea quae fusius prodit Dionysius I, 86 Progrediente vero narratione eam comprobat memoriam Plutarchus qua Remus a Romulo deceptus videtur: „ἐπεὶ δ' ἔγνω τὴν ἀπάτην ὁ Ῥῶμος". Hoc quoque caput e duobus inter se diversis fontibus non satis feliciter a Plutarcho est con-

[77]) In capitibus 11—13 antiquaria continetur doctrina.

sutum. Qua de re infra plura. Antea iuvabit ex adverso ponere Plut. caput 10, Dion. I, 87, Diod. lib. VIII fr. 5.

Plutarchus.

ἐπεὶ δ' ἔγνω τὴν ἀπάτην ὁ Ῥῶμος ἐχαλέπαινε καὶ τοῦ Ῥωμύλου τάφρον ὀρύττοντος ᾗ τὸ τεῖχος ἔμελλε κυκλοῦσθαι, τὰ μὲν ἐχλεύαζε τῶν ἔργων, τοῖς δ' ἐμποδὼν ἐγένετο. τέλος δὲ διαλλόμενον αὐτὸν οἱ μὲν αὐτοῦ Ῥωμύλου πατάξαντος, οἱ δὲ τῶν ἑταίρων τινὸς Κέλερος ἐνταῦθα πεσεῖν λέγουσιν. ἔπεσε δὲ καὶ Φαύστυλος ἐν τῇ μάχῃ καὶ Πλειστῖνος. . . . . , ... ὁ μὲν οὖν Κέλερ εἰς Τυρρηνίαν μετέστη καὶ ἀπ' ἐκείνου τοὺς ταχεῖς Κέλερας ὀνομάζουσιν.

Diodorus.

, ... ὁ δὲ Ῥέμος βαρέως φέρων ἐπὶ τῷ διεσφάλθαι τῶν πρωτείων φθονῶν δὲ τῆς εὐτυχίας τῷ ἀδελφῷ προσιὼν τοῖς ἐργαζομένοις ἐβλασφήμει. ἀπεφήνατο γὰρ στενὴν εἶναι τὴν τάφρον καὶ ἐπισφαλῆ ἔσεσθαι τὴν πόλιν, τῶν πολεμίων ῥᾳδίως αὐτὴν ὑπερβαινόντων. ὁ δὲ Ῥώμυλος ὠργισμένος ἔφη, παραγγελῶ πᾶσι τοῖς πολίταις ἀμύνασθαι τὸν ὑπερβαίνειν ἐπιχειροῦντα. καὶ πάλιν ὁ Ῥέμος τοῖς ἐργαζομένοις ὀνειδίζων ἔφη, στενὴν κατασκευάζειν τὴν τάφρον. εὐχερῶς γὰρ ὑπερβήσεσθαι τοὺς πολεμίους, καὶ γὰρ αὐτὸς ῥᾳδίως τοῦτο πράττειν. ἦν δέ τις Κέλερος εἷς τῶν ἐργαζομένων, ὃς ὑπολαβὼν, ἐγὼ δέ φησιν ἀμυνοῦμαι τὸν ὑπερπηδῶντα κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως καὶ ἅμα ταῦτα λέγων ἀνέτεινε τὸ σκαφεῖον καὶ πατάξας τὴν κεφαλὴν ἀπέκτεινε τὸν Ῥέμον.

Dionysius.

φασὶ δή τινες συγχωρήσαντ' αὐτὸν τῷ Ῥωμύλῳ τὴν ἡγεμονίαν, ἀχθόμενον δὲ καὶ δι' ὀργῆς ἔχοντα τὴν ἀπάτην ἐπειδὴ κατεσκευάσθη τὸ τεῖχος, φλαῦρον ἀποδεῖξαι τὸ ἔρυμα βουλόμενον, ἀλλὰ τοῦτο γ' εἰπεῖν, οὐ χαλεπῶς ἄν τις ὑμῖν ὑπερβαίη πολέμιος ὥσπερ ἐγώ. καὶ αὐτίκα ὑπεραλέσθαι. Κελέριον δέ τινα τῶν ἐπιβεβηκότων τοῦ τείχους ὃς ἦν ἐπιστάτης τῶν ἔργων „ἀλλὰ τοῦτόν γε τὸν πολέμιον οὐ χαλεπῶς ἄν τις ἡμῶν ἀμύναιτο“ εἰπόντα πλῆξαι τῷ σκαφείῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς καὶ αὐτίκ' ἀποκτεῖναι.

Quamquam conspirant tres auctores tenore et serie rerum narratarum, tamen in singulis extant discrepantiae satis notabiles.

I. De fraude Romuli produnt Dionysius et Plutarchus, tacet Diodorus.

II. Remum fossam transiluisse consentiunt Plutarchus et Diodorus, Dionysius dicit de muro.

III. Diodorus appellat Celerem *ἕνα τῶν ἐργαζομένων*, Dionysius *ἐπιστάτην τῶν ἔργων*. Idem significare videtur Plutarchus *ἑταῖρον* Romuli Celerem vocans.

IV. Diodoro auctore iussu Romuli (*κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως*) Remus Celerem occidit, ita ut Romulus auctor sceleris esse videatur. In Dionysii narratione de culpa Romuli nil memoratur. Sua sponte Celer rutro pastorali ferit Remum illudentem infirmam et inanem munitionem. Plutarchum quoque in fonte suo de culpa Romuli nil legisse inde apparet quod Celer Remo interfecto exulatum abit in Etruriam nempe ut flagitii effugiat poenam.

Quaeramus nunc quid discamus e comparatione. Nonne manifestum est Dionysium et Diodorum non eundem despoalisse fontem? Iam multi docuerunt viri docti ea quae exhibet de Celeris facinore Dionysium, Valerio Antiati debere.[78]) Nititur vero haec suspicio fundamentis valde fragilibus. Legimus enim apud Dionysium III 13: „*ὄνομα δὲ κοινὸν οὗτοι* (cohors sc. praetoria equestris) *Κελέριοι ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τῆς ὀξύτητος τῶν ὑπηρεσιῶν, ὡς δὲ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεὺς φησιν ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος αὐτῶν τοῦτ' ἔχοντος ὄνομα*“. (Prior etymologia invenitur eisdem fere verbis apud Plut. Rom. 26. „*ἦσαν δὲ περὶ αὐτὸν τῶν νέων οἱ καλούμενοι Κέλερες ἀπὸ τῆς περὶ τὰς ὑπουργίας ὀξύτητος*). Huc referunt Kiessling alii

Serv. ad Aen. XI, 603
quos Celeres appellavit vel a celeritate vel a duce Celere, qui dicitur Remum occidisse, in cuius gratiae vicem a Romulo fieri tribunus militum meruit.

Festus. p. 55 M.
Celeres antiqui dixerunt quos nunc equites dicimus a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo eis praepositus erat.

simulque concludunt Dionysii narrationem I, 87 ad Valerii redire auctoritatem. At Dionysius II, 13 ne commemorat quidem Celerem illum, a quo equites praetorii nomen ducebant, Remum occidisse, cum idem Dionysius I, 87, ubi Remi mors narratur, nullam illius etymologiae faciat mentionem[79]).

[78]) e. g. Liebaldt, „de Valerio Antiate“ p. 20. Kiessling „de fontibus Dionys. Halic.“ p. 22. Peter „*Quellen Plutarchs u. s. w*“. p. 158. Collmann l. l. p. 42.

[79]) Temerarie suspicatur Peter l. l. p. 158 Plutarchum ea, quae de Celere narrationi innexuit, ex Antiate derivasse. Nam ea quae Plutarchus docet de nomine „Celerum“: „*ἀπ' ἐκείνου τοὺς ταχεῖς καὶ ὀξεῖς Κέλερας ὀνομάζουσιν*“ ad aliam spectant etymologiam atque Dionysii doctrina II, 13. In Pl. Rom. c. 10 de equitibus et de Celere, equitum duce ne sermo quidem est. Prona sane est coniectura Plutarchum etymologiam,

Quae cum ita sint, videamus num contingat ut alia progredientes via rectius aliquid enucleemus. Fortasse Hieronymus II p. 81 S. ansam suppeditat nobis. Legimus enim: „Remus rutro pastorali a Fabio duce Romuli occisus." Commonefecit me Curtius Wachsmuth, praeceptor illustrissimus in Hieronymi codice haud spernendo Fuxensi post „occisus" addita esse haec: „quidam ab ipso Romulo dicunt". Quae cum ita sint facile posse cogitari Fabii nomen non forte in textum irrepsisse. Immo haud improbaliliter statui Hieronymi verba esse confusa, ita ut Fabius, quem Hieronymi fons pro auctore fabulae habuit, paucis intermissis verbis Hieronymi culpa dux Romuli simulque Remi occissor factus sit. Qui error, quam facile oriri potuerit, optime illustrabitur exemplo verborum Graecorum proposito in quo ea quae Hieronymus neglexisse putandus sit uncis saepsi *„ὁ Ῥέμος λέγεται ὑπὸ Φαβίου ἐπιστάτου τινὸς τοῦ Ῥωμύλου (αὐτὸν πατάξαντος) σκαφείῳ ποιμενικῷ ἀναιρεθῆναι, ἔνιοι δέ φασιν κτα."* Quae cum ita sint vix abhorrebimus a verisimilitate rati Dionysii narrationem qua Celer *ἐπιστάτης* Romuli appellatur, ad Fabii redire auctoritatem. Plutarchum quoque ea quae de Celeris facinore obiter tradit e Fabio sumpsisse, eis comprobatur quae supra p. 73 de compositione Rom. capp. 9 et 10 diximus. Fabius, si pro Dionysii et Plutarchi fonte habendus est, neutiquam a Diodoro potest esse usurpatus.

Si nunc quae de fragmentis libb. VIII—X disputavimus, animo comprehendemus, pro certo statuere licet haec: Lib. X fr. 31 e Polybio esse sumptum vix dubitari potest. Aut ad Polybium aut ad eundem a Diodoro et Polybio adhibitum fontem (graece scriptum? cf. p. 65). du-

---

quae exeunte cap 10. legitur, e Jubae *ὁμοιότητα* deprompsisse. Etiam in ea quae antecedit parte, Plutarchus narrationes, quas Dionysius l. l. alteram post alteram ponit,

I. pugnam qua caeduntur Remus et Faustulus.

II. Remum a Celere occisum

non satis feliciter in unum contraxisse videtur. Legimus enim haec: *„τέλος δὲ διαλλόμενον αὐτὸν οἱ μὲν αὐτοῦ Ῥωμύλου πατάξαντος, οἱ δὲ τῶν ἑταίρων τινὸς Κέλερος ἐνταῦθα πεσεῖν λέγουσι. ἔπεσε δὲ καὶ Φαυστύλος ἐν τῇ μάχῃ καὶ Πλειστῖνος.* Sed in priore capitis parte de pugna facta ne verbum quidem legimus.

cimur fragg. lib. VIIII 31, 20, 14; Cum Diodorus Polybii historias in lib. VIIII non plane neglexerit, facile potest cogitari, ea quoque, quae in libro VII Castori non tribuere possumus, Polybio debere Diodorum praesertim cum uterque eundem urbis conditae annum Ol. 7, 2 comprobet. Contra lib. VIIII fr. 3[a] e Fabio ipso esse sumptum caute suspicati sumus et dubitanter, cum lib. VIIII fr. 5 Fabianum esse negaverimus. Fabius quoque is putandus est auctor quem et a Diodoro et a Polybio in usum esse conversum verisimillimum est. Quae coniectura eo confirmatur quod Fabii annales a Diodoro in fragmentis lib. VII laudantur, simulque in libris servatis X—XX Fabium primarium Diodori fuisse fontem negari vix potest. Castoris a Diodoro in libb. VIIII—X usurpati indicia satis certa non possunt investigari.

Tabula argumenti.

Vita.

Chemnitii Saxonum anno h. s. LXVII Joannes Theodorus Bader lucem adspexi natus patre Theodoro, matre Augusta de gente Neumann praematura morte mihi abreptis. Fidem profiteor evangelicam. Rudimentis litterarum imbutus inter discipulos gymnasii Chemnitiensis sum receptus. Cui scholae primum Vogel deinde Wohlrab et Gehlert praeerant magistri egregii optimeque de me meriti. Maturitatis testimonio instructus universitatem Lipsiensem accessi ut philologicis potissimum et historicis me darem studiis. His decem semestribus adii scholas illustrissimorum virorum Bahder, Buresch, Cichorius, Erler, Hanssen, Heinze, Hildebrand, Immisch, Koegel, Lipsius, Masius, Maurenbrecher, Ratzel, Ribbeck, Richter, Rohde, Schreiber, Wachsmuth, Windisch, Wundt. Philologi proseminarii rectoribus Lipsius et Ribbeck per duo, seminarii per tria semestria Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth moderantibis exstiti sodalis ordinarius. Ad exercitationes societatum suarum philologas Ribbeck, antiquarias et historicas Lipsius et Wachsmuth benigne mihi permiserunt aditum. In Ribbeckiana biennium, in Wachsmuthiana et Lipsiana per bina semestria operam litteris navavi. Jam vero sodalis fui seminarii historici moderante Maurenbrechero; praeterea ut interessem exercitationibus historicis concessit mihi Erler, Richteri seminario paedagogico etiam nunc sum adscriptus sodalis. Exercitationibus vero historicis, quas regit Cichorius iam quintum hoc intersum semestre, praeterea societati Immischianae nunc adnumeror.

Quibus quanta debeam viris doctissimis inane est laudibus extollere, praecipue vero Wachsmuthio et Ribbeckio, qui studia mea imprimis fovebant, gratias ago maximas nec non Cichorio, qui me ad litteras historicas accedentem optime et summa comitate adiuverit semperque fautor mi exstiterit egregius.